Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De tribus libris qui sunt ethicis Nicomacheis communes cum ethicis Eudemiis

https://hdl.handle.net/1874/253435

S 40 192 Ill. 16 D-6 100

DE TRIBUS LIBRIS QUI SUNT ETHICIS NICOMACHEIS COMMUNES CUM ETHICIS EUDEMIIS.

P. VAN BRAAM.

A. qu
192

DE TRIBUS LIBRIS QUI SUNT ETHICIS NICOMACHEIS COMMUNES CUM ETHICIS EUDEMIIS.

DE TRIBUS LIBRIS QUI SUNT ETHICIS NICOMACHEIS COMMUNES CUM ETHICIS EUDEMIIS.

SPECIMEN INAUGURALE LITTERARIUM

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

AMBROSII ARNOLDI GUILELMI HUBRECHT

Phil. Nat. Doct. in Fac. Phil. Prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBICIET

PETRUS VAN BRAAM

Sneeanus.

D. XVI M. DECEMBRIS. A. MCMI HORA IV P. M.

TRAIECTI AD RHENUM

APUD KEMINK & FIL.

MCMI.

Memoriae Patris.

Studiis peractis, quod Vobis omnibus, Viri Clarissimi, quorum eruditione fruebar, gratias agendi occasio mihi offertur, gaudeo. Quantum mihi contigerit summa vestra doctrina proficere grato animo recordor.

Imprimis, quae tibi, Clarissime VAN DER WIJCK, *promotor aestumatissime, debeo, lubentissime in mentem revoco. Benevolentia tua frui ac familiaritate uti mihi licitum esse parum dictum; sed me multa magnaque a te didicisse, quorum, quamcunque vitae viam incessero, numquam obliviscar, gratissimo animo mihi persuasum habeo. Quorum omnium gratiam sinceram dedignari noli.*

Amici sodalesque, quibus per hos annos usus sum, valete neque immemores mei estote.

INTRODUCTIO.

Qua forma et quo habitu exstant hodie relicta Aristotelis scripta? Haec prima quaestio cur responso careat, causa non est, siquidem singulis operibus accurate studendo laborem impendere parati sumus. Sed quae sequitur quaestio, a quo scil. quoque modo sint orta, difficilior solutu est. Suntne sua manu redacta sive edendi causa sive usui scholae, an post eius mortem e commentariis inventis a discipulis non solum edita, sed etiam redacta?

Omnia, quae ad certam quandam huius quaestionis solutionem ducere possunt, desiderantur; conicere tantum licet.

Neque apud viros doctos [1]) inveni claram explicationem, nisi apud Zellerum „Die Philosophie der Griechen" II 2 p. 134, qui ingeniose ponit Aristotelem scholae quidem proposita breviter ac summatim exposuisse, postea vero copiosius ac uberius de isdem rebus egisse in perpetuum

1) U. von Wilamowitz-Moellendorf „Aristotelis und Athen" I p. 66, n. 37, obiter quaestionem tangit, sed mihi clarum non est quid velit; nam initio impugnat eos, qui Aristotelem, quomodo habemus scripta, scholae ipsum scripsisse putant; quod autem in fine addit „aber beredt war Aristoteles nur mit der feder" idem vult atque quod supra refellit.

A. Grant „The Ethics of Aristotle" nunc repetitiones Aristoteli male redigenti, nunc discipulis tales voces ex oratione viva voce auditas in suas editiones tradentibus imputat (cf. I, p. 44 annot.)

usum discipulorum, qui ea scripta post magistri mortem edidissent. Haec coniectura explicat, quo modo illi libri Aristotelis manu quidem scribi potuerint nec tamen accuratae redactionis magistri vestigia servent.

Quae coniectura optime ad Ethica quadrat. Fieri enim non potest ut nostra Ethica, quemcunque quattuor tractatuum de Ethicis Aristotelicum censemus, quomodo nunc ea legimus, a magistro in lucem edita sint; cuius rei unum pro multis documentum satis est, transitus scil. lib. IX ad lib. X Eth. Nic.

Sed contra maior discrepantia est modi ac rationis dicendi inter haec quattuor opera, quam ut omnis redactio ac ordo argumenti cuiusque operis Aristoteli abiudicaremus. Quae difficultas, haec opera Ethica Aristotelis esse et videri et non videri, levior fit, si sequentia perpendimus.

Constat Aristotelem primum Ethica ut singularem scientiae provinciam tractasse et hanc doctrinam novam, cuius materia est vita humana hominumque mores, ab illo nomen primum accepisse. Sed discipulos eum imitatos esse moxque se ipsos eidem materiae dedidisse neque minus certum est et rerum natura fert. Itaque factum est, ut postea opera magistri et discipulorum non facile distinguerentur neque mirum nobis est in nostra editione Aristotelis, quam, ut probabile est, Andronico Rhodio debemus, quattuor tractatus Ethicorum occurrere. Attamen nemo, qui compos mentis est, hos quattuor uni auctori attribuet.

Quisquis leget exordium magnificum Eth. Nic., nil dubitat, quin sit ipsius magistri opus, „πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ.

διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν οὗ πάντ' ἐφίεται" quocum plane congruit initium Metaphysicorum „πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει". Sequentia perlegentes facile cognoscimus auctorem novam scientiam condere, ignotas vias incedere. Conclusiones, ad quas pervenit philosophus, sensim crescunt — sit venia verbo — ante oculos lectoris; quae fuerunt primo indeterminate ac infinite dicta, gradatim magis magisque certe ac acute delineantur, donec definitio perfecta est constituta. Revocemus in memoriam, quo modo Aristoteles a cogitatione, esse res aliis rebus bonas, progrediens, contendit etiam esse oportere rem per se ipsam bonam, τέλος τέλειον, quam Beatitudinem esse omnium consensu praedicat. Sed porro haec Beatitudo, quae initio erat vox inanis, e sermone vulgari suscepta, vide quo modo pedetemptim fiat amplior notione, sensu altior, gravior auctoritate, denique gravis ac totam vitam humanam complectens notio a nobis percipiatur.

Admirationem movet, Schleiermacherum, virum sagacem, haec omnia vidisse non videri et, quid tandem eum adducere potuerit, ut Magna Moràlia genuina Ethica Aristotelis esse putaret, me quidem fugit. Solus enim hanc sententiam defendit: neque ante neque post eum unquam quisquam cum eo consensit. Amplius igitur animum ad mire arbitrariam viri magni ingenii coniecturam advertere nobis opus non est.

Itaque pro certo habemus Ethica Nicomachea ab Aristotele, Ethica Eudemia, ab Eudemo Rhodio — quod enim ponit Barthélemy Saint-Hilaire, Eth. Eud. esse meram paraphrasen Eth. Nic., Eudemo indignam, gravi inter illa

discrepantia, in cap. II huius libelli ostentata, redarguere mihi in animo est — Magna Moralia et tractatum de Virtutibus ac Vitiis a quibusdam Peripateticis orta esse.

Quamquam autem Eth. Nic. opus est Aristotelis, tamen ex omni parte ea esse Aristotelica necesse vix videtur, quod imprimis confirmatur tribus libris ad verba et in Eth. Nic. et in Eth. Eud. occurrentibus, scil. E. N. V VI VII = E. E. IV V VI.

De his tantum tribus libris scribere mihi propositum est, materia satis, ut opinor, gravi ac molesta, qua de re, si deficio, fore ut mihi ignoscas spero.

Si tantum duae viae paterent, ut aut libros illos totos Eth. Nic. tribuamus aut Eth. Eud., facile haec quaestio erat ponenda, quo in opere, Aristotelis aut Eudemi, optime tres hi libri quadrarent, de qua quaestione, ut consentaneum est, priores viri docti imprimis egerunt. Tunc haec nobis essent perpendenda:

I. tribus libris in Eth. Nic. translatis duo exstarent in hoc opere tractatus de voluptate (VII c. XI—XIV et X c. I—VI) quae una res, ab eodem homine Eth. Nic. profecta non esse, statim comprobaret.

II. in his tribus libris nonnullae voces ac notiones occurrunt in Eth. Eud. quidem reperiendae sed non in Eth. Nic. reliquis (e. g. σκοπὸς sensu, quem habet E. N. VI c. I; bis τὸ δοξαστικὸν pro λογιστικὸν E. N. VI c. V. 8. ac c. XIII. 2; φυσικὴ E. N. VI c. XII; ἐγκράτεια ac ἀκρασία sensu in E. N. VII. adhibito.)

III. tribus libris in Eth. Eud. translatis hoc opus fieret satis continens, cum contra Eth. Nic. minus apti essent.

(cf. E. E. II c. XI 2 cum lib. VII et E. E. III c. II 18 cum lib. VII et E. E. III c. VII 11. cum lib. VI c. XIII.)

Primo igitur obtutu, ut tres libros Eth. Nic. abiudicem animus inclinat; sed tunc magna lacuna in his manifesta fit.

Quibus rebus perpensis nobis in mentem venit, aliam viam, qua difficultates solvamus, esse relictam: tres communes libros partim esse Aristotelis, partim Eudemi sive alterius Peripatetici, et hanc confusionem seu a discipulo quodam, relicta magistri scripta in lucem edente, seu ab editione Andronici Rhodii ortam esse. Quam coniecturam suggerunt perturbationes in lib. V, dubia notio in lib. VI virtutum intellectualium, multae repetitiones in lib. VI ac VII, nec non posteriores viri docti eam sequuntur, post Rieckherum scil. Rassovius, Ramsauer, Susemihlius, quorum Rassovius disertis verbis dicit „Forschungen über die Nic. Ethik." p. 51 „So fragt es sich ob es nicht gerathen wäre, sämmtliche Uebelstände aus einer und derselben Quelle abzuleiten, und sich mit der Annahme zu begnügen, dasz die vielleicht verstümmelten echten Bücher des Aristoteles aus der Eudemischen Ethik ergänzt seien."

In quaestione mea tractanda imprimis ad hanc tertiam viam animum adverti, ut sequerer Grantii adhortationem „We require an investigation on the subject in detail and a theory as to what was the skeleton of each of those supposed Nicomachean Books and where the Eudemian interpolations were brought in."

Sed antequam tractationem singulorum capitum suscipimus, recensere, quae priores protulerunt, par erit.

CAPUT I.

Auctores qui de quaestione egerunt.

Ante initium prioris saeculi nulla studia praeter quasdam annotationes Casauboni, aliorum, materiae, quam suscepimus dedita sunt, et iure Spengelius a° 1841 dicere potuit: „Wir treten den Verdiensten vieler namentlich früheren Gelehrten keineswegs zu nahe, wenn wir behaupten, dass bei Aristoteles alle Untersuchungen von vorne zu beginnen haben".

Schleiermacher primus cum, in studiis philosophis subsistens ad Aristotelis doctrinam moralem, de eius Ethicis tractaret, quaestionem, de qua nos agimus, movit, quamquam ei, qui, quod neque quisquam alius, neque ante neque post, Magna Moralia genuina ac proba Ethica Aristotelis iudicavit, illi tres libri minoris momenti fuerunt. Quia illa, ut existimavit, genuina Magna Moralia Ethica Eudemia in omnibus libris nec non in tribus dubiis imitantur, tres libri Eth. Eud. abiudicandi non sunt, quo facto tractatus de voluptate (E. N. VII c. XI) nobis non amplius molestus esset, neque male repeteretur in E. N. X c. I—VI. Ad quod etiam duplex illa perceptio, ab eo primum observata et demonstrata, virtutum intellectualium coniunctarum cum virtutibus moralibus, in E. N. VI osten-

tata, Schleiermacherum adduxit. Nam censuit vacillationem, quae est in E. N. VI perspicua, utrum virtutes intellectuales illic ad normam vitae moralis definiendam, an quasi additamentum virtutum moralium tractentur, magis Eudemi esse quam Eth. Nic., quae talem coniunctionem duorum virtutum generum nesciunt. Quibus de causis Schleiermacher putat Eth. Nic. septem libris constitisse, Eth. Eud. item septem, tribus libris, qui vulgo in Eth. Nic. leguntur, additis.

Non multo post, cum proposita Schleiermacheri scripta quidem, non tamen edita essent, Ch. Pansch in dissertatione de Eth. Nic. ad contrariam opinionem adductus est imprimis genere dicendi, quod nullo nisi Aristotele dignum existimat. Praeterea censet esse complures commemorationes operum Aristotelis in E. N. V—VII et horum in illis. Exempla dat revocationum in Eth. Nic.: VI 3, 3 ἔτι διδακτὴ πᾶσα ἐπιστήμη δοκεῖ εἶναι, καὶ τὸ ἐπιστητὸν μαθητόν· ἐκ προγινωσκομένων δὲ πᾶσα διδασκαλία, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς ἐλέγομεν; et VII 14. 5 ἀεὶ γὰρ πονεῖ τὸ ζῷον, ὥσπερ καὶ οἱ Φυσικοὶ λόγοι μαρτυροῦσι, τὸ δρᾶν, τὸ ἀκούειν, Φάσκοντες εἶναι λύπηρον; et revocationum ad Eth. Nic.: Metaph. I 1 A p. 6. 1 εἴρηται μὲν οὖν ἐν τοῖς Ἠθικοῖς τίς διαφορὰ τέχνης καὶ ἐπιστήμης καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμογενῶν, scil. ad E. N. VI 3; Politica II. 1 p. 29. 4 ed. Goettling διόπερ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις ὥσπερ ἐν τοῖς Ἠθικοῖς εἴρηται πρότερον scil. ad E. N. V. 5.

Totos igitur tres libros disputatos Eth. Nic. attribuit ita, ut amborum tractatuum de voluptate ultimum i.e. in l. X, Aristoteli abiudicet, quem a Nicomacho filio confectum esse

suspicatur. Argumenta ponit, quod auctor E. N. X c. I—c. VI materiam sumit in VII c. XIV iam plane absolutam et „quod neque in libro de voluptate alii libri ethici laudantur, neque in his ille" contra Aristotelis morem. Etiam ei suspicionem movit, quod l. X c. II in Platonem invehitur, quod in Eth. Nic. nusquam fit.

Amplius et copiosius Spengelius [1]), medio fere saeculo priore, rem tractavit. Sed magis scrupulose ad omnes rei partes spectat, quam ut acute ac clare, quid denique velit, demonstret. Nam initio approbat tres libros ex Eth. Nic. in Eudemia male ac inepte translatos esse. Propositum suum verisimile facere conatur toto genere dicendi, quod vocibus ac notionibus cum Aristotele consentire iudicat: p. 484. „Sie entsprechen in Wort und Gedanken ganz der Aristotelischen Vorstellung." Praeterea probat coniecturam sequentibus locis comparatis. Post E. N. VI 3, quem locum supra a Panschio vidimus citatum aeque ac Metaph. I A p. 6 cum E. N. VI 3, et Polit. III p. 1261 cum E. N. V 5, confert in extenso E. N. V 6 cum Polit. III. 9. Deinde affirmat propositum demonstrando priorum librorum Eth. Nic. indicationes quadrare cum tribus libris, sed Eth. Eud. complura promittere, quae in his libris absoluta non invenimus: E. E. I 5 p. 1216. 27 *ἕτεραι δ' εἰσὶν ἡδοναὶ δι' ἃς εὐλόγως οἴονται τὸν εὐδαίμονα ζῆν ἡδέως καὶ μὴ μόνον ἀλύπως. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ὕστερον ἐπισκεπτέον.* Invenitur hoc E. N. VII c. XIV. E. E. I 7 p. 1217, 30 .... *ἀλλὰ*

1) Abhandlungen der Philos.-Philol. Classe der Kön. Baier. Academie der Wissenschaften III Bd. 2. 1841.

κατ' ἄλλην τινὰ τῶν ἀγαθῶν μετοχὴν τὸ μὲν βέλτιον ζῇ, τὸ δὲ χεῖρον αὐτῶν, ἀλλ' ὅτι τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, ὕστερον ἐπισκεπτέον. Quod promissum nusquam in E. N. praesto est. E. E. I 8 p. 1218 b. 15 .... αὕτη δ'ἐστὶ πολιτικὴ καὶ οἰκονομικὴ καὶ Φρόνησις. διαΦέρουσι γὰρ αὗται αἱ ἕξεις πρὸς τὰς ἄλλας τῷ τοιαῦται εἶναι· πρὸς δ'ἀλλήλας εἴτι διαΦέρουσιν, ὕστερον λεκτέον, aeque desertum promissum in Eth. Nic. Contra E. E. VII 15 .... καὶ περὶ τῆς ἀρετῆς διαρθρωτέον τῆς ἐκ τούτων ἣν ἐκαλοῦμεν ἤδη καλοκἀγαθίαν revocat ad vocem in nostris Eth. Eud. non inventam, fortasse in deperditis libris. Si hi tres libri lacunam Eth. Eud. explerent, inveniri non posset locus, ad quem spectaret ἤδη ἐκαλοῦμεν καλοκἀγαθίαν. Etiam E. E. VII 15 p. 1249, 17 καὶ περὶ ἡδονῆς δ'εἴρηται ποῖον τι καὶ πῶς ἀγαθὸν, καὶ ὅτι τά τε ἁπλῶς ἡδέα καλὰ, τά τε ἁπλῶς ἀγαθὰ ἡδέα et E. E. III 2 ἀκριβέστερον δὲ περὶ τοῦ γενοῦς τῶν ἡδονῶν ἔσται, διαιρετέον ἐν τοῖς λεγομένοις ὕστερον περὶ ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας ad E. N. VII c. XI XIV de voluptate reicere non possunt, nam „Diesen einfachen richtigen Gedanken (ποῖόν τι καὶ πῶς ἀγαθὸν ἡ ἡδονὴ) sucht man vergebens in jener Abhandlung (E. N. VII c. XI) gleich kurz und deutlich ausgesprochen, ... es ist nämlich dort (E. N. VII c. XI) um nichts deutlicher über die Verschiedenheit und das γένος der Vergnügungen gesprochen." Sed quamquam l. VII cum Eth. Eud. non quadrat, tamen eo ipso cum Eth. Nic. non consentiet. Disputationem de voluptate in E. N. VII non suo loco legi, et priorem Aristotelis tractationem posteriore recensione additam esse existimat. Illi tres igitur libri Eth. Eud. deperditi sunt; nam, quod Titze

defendit, haec Ethica quattuor (vel quinque secundum quaedam manuscripta) libris constitisse, valde ineptum putat Spengelius.

Sed in sequentibus denuo ac nunc magis scrupulose animum ad posteriorem partem E. N. VII, tractationem de voluptate attendit et videt damnata capita non facile avelli posse a reliquis, quae simul Eth. Nic. abiudicanda essent; qua ruina fortasse etiam l. V ac. VI retineri non possent. Confirmat hanc novam ac contrariam coniecturam observando in Eth. Eud. III. 2. p. 1241. b. 2. disputationem de voluptate promissam esse. Posterioribus igitur mandat, ut in his rebus ad certam ac claram sententiam perveniant.

Iam A. M. Fischer [1]) in dissertatione Spengelii dubitationem inter duas contrarias coniecturas perspexit, et ad suam sententiam probandam adhibuit; nam ab ea suae argumentationis initium capit. Abiudicat igitur Aristoteli priorem de voluptate tractatum cumque eo l. VII ac VI; sed, quia disputatio de iustitia E. N. V nullo nisi ipso magistro digna esse videtur, aptum seiungendi locum quaerit, quem in fine capitis decimi quarti l. V se invenisse putat. Nam c. 13 pulchrum finem iustitiae tractatae imponit, quamvis illustrationem de aequitate disserentem desideres, qua auctor non supersedit. Quae autem sequuntur capita, eiusdem ac priora auctoris esse non possunt, cum duplex tractatio de quaestiuncula sibi ipsi iniuriae inferendae parvo spatio interiecto ne Eudemo quidem tribuenda sit. Quam

---

1) De Ethicis Nicomacheis et Eudemiis, quae Aristotelis nomine tradita sunt. Bonnae 1847.

ob rem hic ante alteram disputationem eius quaestiunculae, capite decimo quarto finito, locus disiunctionis eorum, quae sunt Aristotelis et Eudemi, quaerendus est. Praeterea ea, quae sequuntur, argumento Eudemum auctorem significant; nam quae sunt de recta ratione (ὀρθὸς λόγος) in E. N. VI c. I plane consentiunt cum E. E. VII 1. Etiam dissertatio de utilitate virtutum intellectualium et Eudemi laus sapientiae (σοφίας) Aristotele vix dignae sunt neque cum ipsius E. N. X quadrant. Summa summarum contentio auctoris E. N. VI ac VII clara ac perspicua est ubi virtutes morales virtutibus intellectualibus non postponit, qua de causa virtutem illam duorum generum virtutum mixtam, quae Graece dicitur Καλοκἀγαθία, aeque magni facit ac sapientiam ipsam. Qua disputandi ratione adductus est, ut continentiam (ἐγκράτειαν) mediam inter duo genera virtutum habeat, quasi esset species universae virtutis, ut ita dicam, dominantis (ἀρετὴ κυρία) Tota illa disputatio magis est consentanea cum religioso Eudemo.

Quibus internis indiciis contra Aristotelem E. N. VI ac VII auctorem perlustratis Fischer vir clarissimus nonnulla vitia, etiam obiter legenti clara, affert, quod scil. vocabula ἀληθὲς μὲν οὐδὲν σαφὲς in l. VI quae, in Eth. Nic. reliquis frustra quaesita, in Eth. Eud. I c. 6 ac 7. reperiuntur, et σκοπός, vox tanti momenti, solum in E. E VII c. 15 explicatur; et imprimis E. N. VI, de virtute naturali (ἀρετὴ φυσική), plane repugnat cum genuino Aristotelis loco (E. N. II. 1), qui virtutem naturaliter (φύσει) non consistere testatur. Redarguit Spengelii argumenta, locos, qui congruentiam trium librorum cum Eth. Nic. demon-

strarent, ex ordine tractans p. 45—58 et concludens: „Inter argumenta igitur Spengeliana nullum est, quo sententia nostra refellatur." Etiam habet externam causam cur E. N. V c. 1—15 Aristotelis esse iudicet scil. vocem καλοκἀγαθία in E. E. VIII c. 3 quippe quae iam ante nominata nec alibi ac in l. V quaerenda sit.

Hoc modo Fischer partem priorem librorum disputatorum Aristotelis propriam, posteriorem Eudemi, idoneum locum disiunctionis post cap. XIV E. N. esse affirmat.

Omnibus in propositis Fischerum secutus est Fritzsche in prolegomenis editionis Eth. Eud. (XLII conclusio et p. XLVII).

In accurate studiis de tribus libris addubitatis recognoscendis etiam, quantum possum, quas viri docti occasione oblata in aliis praecipue tractandis in nostra materia professi sunt sententias, enumerabo, ut eluceat, quot sententiae variae et longis temporis spatiis repetitae allatae sint et quanta dubitatio ac vacillatio semper fuerit in quaestione nostra.

Valentinus Rose in libro „De Aristotelis librorum ordine et auctoritate" a° 1854, antiquum Victorium sequitur, et priorem et posteriorem tractationem de voluptate, Aristoteli tribuens, quod illa, utrum voluptas bona an mala sit, haec, quid denique sit voluptas, rogat.

A. Trendelenburg studia critica [1]) scripsit de l. V ac VI E. N., in quibus implicite et ad locum E. N. V c. 8

---

1) A. Trendelenburg. Historische Beiträge zur Philosophie Bd II 1855; Bd. III 1867.

verbatim illos libros, quamvis mutilatos, Aristotelis esse significat.

De libro VII Eth. Nic. Bendixen in Philologo vol. X p. 199 seqq. et p. 263 seqq. disserit et se certam lucem inter varia proposita allaturum esse opinatur. Profert enim Polit IV 11, ubi vox ἀνεμπόδιστος, frustra in Eth. Nic. quaesita, priorem tractationem de voluptate (E. N. VII c. XI—XIV) Aristotelis propriam sine dubio faceret. Praeterea tres loci l VII ad Eth. Nic. revocantes, non ad Eth Eud., demonstrant Aristotelem auctorem. Quorum primus VII 6. 1147 b 23 ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν ἀναγκαῖα τῶν ποιούντων ἡδονήν, τὰ δ' αἱρετὰ μὲν καθ' αὑτά, ἔχοντα δ' ὑπερβολήν· ἀναγκαῖα μὲν τὰ σωματικὰ .... τὰ δ' ἀναγκαῖα μὲν οὖν αἱρετὰ καθ' αὑτά quorum vox ἐπεί, ut Bendixen censet, priorem divisionem indicat; tum pergit „Von diesem allen aber in unserer stelle bei Eudemus *nicht ein wort*. Umgekehrt aber finden wir in der Nicomachischen ethik alles zusammen, was wir dort vermissen und was eine rigoristische strenge von der genauesten congruenz eines citats verlangen kann": E. N. III 13, 11 17 b. 27 29 ὅτι μὲν οὖν μεσότης ἐστὶ περὶ ἡδονὰς ἡ σωφροσύνη, εἴρηται .... ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀκολασία .... διῃρήσθωσαν αἱ ψυχικαὶ καὶ αἱ σωματικαί; c. 14 πᾶς γὰρ ἐπιθυμεῖ τρυφῆς καὶ εὐνῆς κτλ. Secundus locus 1148 a 24 τῶν γὰρ ἡδέων ἔνια φύσει αἱρετά, τὰ δ' ἐναντία τούτων, τὰ δὲ μεταξὺ καθάπερ διείλομεν πρότερον οἷον χρήματα καὶ κέρδος καὶ νικὴ καὶ τιμή, quod πρότερον in Eth. Eud. nusquam, in Eth. Nic. X p. 1175 b. 25 in argumento affini scil. ἐνέργεια inveniendum sit. Tertius locus VII c. 8 περὶ δὲ τὰς δι' ἁφῆς καὶ γεύσεως ἡδονὰς .... περὶ ἃς ἡ ἀκολασία καὶ σωφροσύνη, διωρίσθη πρότερον,

est certum documentum, lib. VII esse Eth. Nic., quod Eth. Nic. haberent γευστὸν καὶ ἁπτόν materiam ἀκολασίας, Eth. Eud. vero correxerint, ita ut solum ἁπτόν esset (E. E. III 2. 1130. b. 23).

Etiam ostentanda alia notione, adhuc soli Eudemo tributa, scil. oppositione vocum ἁπλῶς ac ἐξ ὑποθέσεως (E. N. VII. 14.) in Polit VII 13. p. 1332 a 7. sententiam suam confirmat, tres libros esse Eth. Nic.

Primus rectam viam, a Spengelio indicatam, secutus est Rieckher [1]), qui accurate ipsis libris perlegendis ad sanam conclusionem pervenire conatus est.

Invenit in lib. V de Iustitia complures forma argumentoque difficiles locos, qui ab uno auctore scripti esse non possunt: In cap. 2 notio perturbata iniqui (τοῦ ἀνίσου), quae nunc particularis, nunc (c. 5) universa est; c. 7 vocabula ἐστὶ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν τοῦτο· ἀνηροῦντο γὰρ ἄν, εἰ μὴ ἐποίει τὸ ποιοῦν καὶ ὅσον καὶ οἷον, καὶ τὸ πάσχον ἔπασχε τοῦτο καὶ τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον, quia verbatim in c. 8 redeunt, delenda; in c. 11 voluntas (βούλησις), utrum interpretanda per appetitionem (ὄρεξις) an per consilium (προαίρεσις) incertum est; εὔλογον pro sensu contrario exspectato; denique vocabula c. 12.1 ἔτι δ'ὧν προειλόμεθα, δυ' ἔστιν εἰπεῖν omni priore enumeratione omissa sensu carentia — haec omnia clarissimum auctorem commoverunt, ut ei antiqua explicatione, secundum quam haec omnia merae interpolationes ac vitia librariorum essent, satisfieri non posset. Huc accedit repetitio in cap 9 ac 10 in initio ac fine et

---

1) Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1856.

duplex disputatio de sibi ipsi iniuriam inferendo (τὸ ἑαυτὸν ἀδικεῖν). Accedit totum cap. 15, quod, male locatum, melius in medium cap. 11 translatum esset, et eo modo vocabula c. 10 πῶς μὲν οὖν ἔχει — εἴρηται πρότερον amovenda.

Etiam si altius spectas tota disputatio est male evoluta et duae principales quaestiones in c. 11 ac 12 positae, utrum ἑκὼν ἀδικεῖσθαι et ἑαυτὸν ἀδικεῖν fieri possit, annon, non satis absolvuntur. Nam, si fieri potest ut tibi ipse iniuriam inferas, simul affirmatur te ipsum volentem iniuriam pati, cum semper iniurias inferre actio sit voluntaria.

Quibus omnibus de causis Rieckher censet graviorem corruptionem esse ponendam, quam quae ex manuscriptis mutulatis oriri potuisset. Totus fere lib. V Eth. Nic. deperditus est post mortem auctoris, et altera recensione discipulorum commentariis, quos in lectionibus magistri confecerunt, expletus est et amplificatus, duplicibus disputationibus pietatis causa servatis.

Et liber VI Eth. Nic. externis ac internis vitiis suspicionem supra notatam confirmat. Quinque vias, quibus animus non errare (ἀληθεύειν) discit, alio ordine numerat atque tractat, praeterea in secunda enumeratione una, scil. arte (τέχνη), sublata. Etiam ratio, quae sit inter illas quinque vias et duas virtutes intellectuales, sapientiam scil. (σοφίαν) ac prudentiam (φρόνησιν), non est satis illustrata; nam et sapientia scientiae (ἐπιστήμη) consimilis et scientia sapientiae species particularis videtur, ut etiam ars (τέχνη) prudentiae consimilis notio itemque species particularis habita est. De prudentia, c. 5—8 interiectis, disputat auctor vel potius duplex auctor, nam ea dispositione

apparet, ut scribit Rieckher, in c. 3—7 et c. 8—12 duas varias recensiones servatas esse, quarum neutra tota ad nos pervenit. Quod attinet ad argumentum totius libri, sagacitatem Schleiermacheri laudat Rieckher, qui primus, ut supra annotavimus, animadvertit non liquere, utrum auctor virtutes intellectuales merum additamentum tractaverit, an quibus norma virtutum moralium constitueretur. Sed ita eum sequitur, ut solum primum caput posteriorem coniecturam commendare ducat, totum reliquum librum priorem.

Septimus liber nihil haberet, quod suspicionem moveret, nisi disputatio de voluptate in fine repeteretur in lib. X eorundem Ethicorum, cuius libri tractationem, quamvis sensu altior et amplior sit, miramur neque ullo verbo neque argumento ad priorem, neque hanc ad posteriorem respicere. Et hanc repetitionem eodem modo ac supra explicat Rieckher, ita scil. ut discipuli libros post mortem magistri deperditos e suis commentariis complentes, quas disputationes invenerunt duplices, pietate commoti, servaverint.

Eodem annó, quo Rieckher studia illa scripsit, in Gallia Barthélemy Saint-Hilaire [1]) in studiis praeliminaribus translationis Aristotelis Ethicorum nostram quaestionem tractavit. Ponendo Eudemum Rhodium, ingeniosum discipulum Aristotelis, auctorem Ethicorum, quae feruntur Eudemia, duci non posse ob servilem modum, quo magistrum sequitur, in Eth. Eud. ostentatum, difficultatem, quibus Ethicis libri

---

1) Morale d'Aristote, traduite par J. Barthélemy Saint-Hilaire.

addubitati tribuendi sint, e medio tollit, et ea coniectura facilius adducitur ut totos tres libros Eth. Nic. asserat. Nam Eth. Eud. meram alteram Eth. Nic. recensionem autumat, ab omni parte his obnoxia, ita ut in recensendo lib: V—VII Eth. Nic. de industria verbatim repetitos censeat. Sic illos libros, Spengelii argumentis usus, Aristotelis Ethicis Nicomacheis vindicat, qui, quamvis vir magni ingenii, aliquid tamen se indignius fecisse possit, praesertim si spectemus eum opera sua non finivisse nec ipsum ultimam correctionem adhibere potuisse. Praeterea carent illis libris translatis Eth. Nic. necessaria parte argumenti, dum Eth. Eud. nec tota nec in illis ipsis libris minus intricata fiunt. Quod attinet ad priorem disputationem de voluptate in E. N. VII, quae fere omnibus criticis maximae offensioni fuit, et ipsum Spengelium, ut in appendice dissertationis plane contrariam opinionem defenderet ac initio, commovit, Barthelemy Saint-Hilaire nil habet, cur Aristoteli abiudicet. Nam non tam, inquit, vehementer alteri tractationi in E. N. X repugnat, sine dubio Aristotelis genuinae, ut Aristoteles et huius et illius ipse auctor fuisse non possit, postea fortasse ad maiorem severitatem progressus. Miratur viros clarissimos illam disputationem Aristotelis esse negare et Eudemo quidem, cum cuius religione minime consentiat, tribuere. Turbationem, quae praesertim Fischerum offendit in fine E. N. V, et auctor noster aegre fert, sed non adeo ut ille eam documentum necessariae seiunctionis partium Aristotelis ac Eudemi, ut Fischer, aestimet. Quam sententiam graviter refutat, quia auctor de duabus rebus promittit disputare (1136 b. 12),

quarum alteram ante locum, a Fischero destinatum, alteram post eum solvit. Argumentum ab Aristotele non abhorrere demonstrare conatus est et mutuis indicationibus inter alia Aristotelis opera ac hos tres libros affirmare. Praeter quas nominavit Spengelius, citat Polit. III, 7. 1. „δοκεῖ δὴ πᾶσιν ἴσον τι τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μέχρι, γέ τινος ὁμολογοῦσι τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις ἐν οἷς διώρισται περὶ τῶν ἠθικῶν" locum E. N. c. V, 5. 4 indicantem, et Polit. IV c. 14 ac V tractationem educationis, promissam in E. N. V c. II. 11. περὶ δὲ τῆς καθ' ἕκαστον παιδείας, καθ' ἣν ἁπλῶς ἀνὴρ ἀγαθός ἐστιν πότερον τῆς πολιτικῆς ἐστιν ἢ ἑτέρας, ὕστερον διοριστέον."

Quaestio tractata tum per septem annos iacebat, donec Spengelius [1]), vir doctissimus, qui fere primus rem amplius et altius movere et ab omnibus partibus spectare coepit, eam denuo viginti fere annis post suscepit. Ut antea, etiam nunc lib. V. Eth. Nic. Aristotelissimum iudicat argumento, licet verbis ac compositione turbatior sit, quam ut hac forma magister in lucem edidisse possit. Et lib. VI, cum Metaph. comparatus, auctoritatem suam servat; sed neque nunc libri septimi probare potest finem, illam molestam de voluptate disputationem. Accurate duabus disputationibus l. VII ac l. X perlectis concludit primam neque quandam anteriorem neque posteriorem tractationem ipsius Aristotelis esse posse; sed tantum alterius i. e. Eudemi posteriorem retractationem, secundam disputationem l. X

---

1) Aristotelische Studien von L. Spengel I. Nicomachische Ethik. Aus den Abhandlungen der Kön. Bayer. Academie der Wiss. 1863.

in omnibus partibus subsequentem habendam esse. Impugnat Bendixenum, qui Aristotelem procul dubio auctorem disputatae partis significat, Polit. IV. 2., ut supra vidimus, cum E. N. VII. 14. conferens, voce ἀνεμπόδιστος nisus, et eum, quod inepte ac iusto gravius ea voce uteretur, accusat. Alia argumenta, quae affert Bendixen (cf. p. 13), redarguere conatus est Spengelius. Nam, quod Bendixen opinatur, vocem ἑπεί E. N. VII. c. 6. ad priorem divisionem voluptatum in Eth. Nic. spectare oportere, hoc absurdum censet Spengelius; concedit tamen in secundo loco laudato p. 1148. 24. priorem divisionem indicari; sed negat Bendixenum invenisse aut usquam in Eth. Nic. inveniri posse. Tertium argumentum refellit demonstrando Aristotelem quoque illud γευστὸν καὶ ἁπτόν ad ἁπτόν solum reduxisse (E. N. III. 13.) neque Eudemum in sua acuta distinctione sibi constitisse (E. E. III. c. II. §§ 6. 9. 12.). Etiam profert locum Eth. Eud. III. 2. ubi pollicetur auctor postea de voluptate se acturum esse.

Quibus rebus confirmat coniecturam, posteriorem partem E. N. VII in Eth. Eud esse collocandam. Sed, quae ea coniectura approbata efficiuntur, incerta reliquit. Tum totus lib. VII in Eth. Eud. relegandus esset. De lib. V ac VI adhuc dubitat neque clare significat, quo modo lib. VII translato reliquas partes duorum Ethicorum consistere putet. Hisce enim dubiis verbis rem reliquit: „Müssen auch nicht sofort alle drei fraglichen Bücher unmittelbar und nothwendig aufgegeben werden, so hängen doch jene beide Partien des siebenten Buches mit einander so enge zusammen, dass es schwer hällt, sie auseinander zu reissen

und den ersten Theil dem Aristoteles, den zweiten einem andern zu zu weisen".

Anno sequenti Vermehren [1]) de nostra quaestione quidem non egit, sed in explicandis compluribus locis difficilibus Eth. Nic. implicite Aristotelem auctorem totorum Eth. Nic. significavit.

Spatio decem annorum interiecto, Rassovius [2]) veterem Rieckheri coniecturam suscepit. Nam et is tres libros disputatos Eth. Nic. duplici recensione ortos esse censet.

Quamquam enim multas difficultates, verba scil. et argumenta, quae inter se pugnant, movit vir doctissimus, tamen iudicat nulla harum difficultatum nos convinci posse trium disputatorum librorum plerasque et gravissimas partes ab Aristotele scriptas non esse. Sunt autem multa, ad quae animi attentionem vertit vir clarissimus. Verborum repetitiones minoris momenti enumerat: in l. V: c. 5 usque ad p. 1130 b. 29 amplius dictum; praeterea vocem in c. 5 νόμιμον δίκαιον ex c. 3 p. 1129 b. 11 repetitam; c. 7 p. 1132 b. 9 in c. 8 p. 1133 a 14 repetitum, quod caput totum corruptum est. In lib. VI Eth. Nic. duo prooemia sunt, scil. p. 1138. b. 15. usque ad 1139. b. 34 et p. 1138. b. 34 usque ad 1139. a. 3, et tractatus de prudentia (φρόνησις) e cap. 5. repetitur in cap. 8. Multae sunt repetitiones in lib. VII: in fine cap. 4 πρῶτον μὲν οὖν usque ad ἐστὶ ταύτης et uno tenore sequentia ἐστὶν ἀρχή usque ad cap. 5; cap. 6 totum intricatum est, saepius easdem prae se ferens opiniones;

---

1) Aristotelische Schriftstellen untersucht 1864.

2) Forschungen über die Nicomachische Ethik. Weimar 1874.

in cap. 7 iterum post cap. 6 agitur de feritate (θηριότης) et porro, in eodem capite 1150. a. 3 ὁμοῖον usque ad ὃ δὲ νοῦς ἀρχή sequentibus παραπλήσιον usque ad cap. 8 repetuntur; cap. 8. denique cum argumento tum verbis hic illic cap. 6 consimilis est. Haec leviora. Graviora enumerat: V c. 10 totum argumento intricatum esse, vocibus πῶς μὲν οὖν ἔχει usque ad εἴρηται πρότερον inepte ordinem turbantibus; ultima capita, c. 11—15, lib. V nec verbis nec argumento ullum ordinem prae se ferre; V c. 14 de aequitate medium inter duas quaestiunculas de sibi ipsi iniuriam inferendo (ἑαυτὸν ἀδικεῖν) positum esse, auctore perceptionem voluntatis (βούλησις) non satis clare ac accurate definiente. Repetitio, quam supra notavimus in lib. VI c. 5 et c. 8 de prudentia, etiam ubi explicat, quid sibi velit prudentia, difficultatem affert. Etiam argumentum cap. 7 initii lib. VII turbatum videtur. Cuius libri finis, notissima interpretum crux, Rassovio et cum tota ratione Eth. Nic. et imprimis cum altera disputatione de voluptate (E. N. X c. I—VI) minime quadrare videtur. Non tamen ei, ut Spengelio, haec causa est, cur totus liber VII Aristoteli abiudicandus sit. Nam, ut supra diximus, Rassovius, quamquam tot ac tantas corruptiones protulit magistro indignas, tamen summam trium dubiorum librorum propriam Aristotelis habet. In fine dissertationis viam monstrat, qua fortasse ars critica omnes difficultates solvere possit: „so fragt es sich, ob es nicht gerathen wäre, sämmtliche Uebelstände aus einer und derselber Quelle abzuleiten und sich mit der Annahme zu begnügen, dasz die vielleicht verstümmelten echten Bücher des Aristoteles aus der Eudemischen Ethik ergänzt seien."

Ramsauer in editione commentariis latinis instructa 1877 in appendice sententiam fere cum Rassovio consimilem professus est. Sed minus clare, quid denique velit, dicit, ut iam Grant in praefatione suae editionis probavit. De tribus libris censet p. 641, l. V „omnium plurimum violatum esse", l. VI „a copia Nicomachea ad tenuitatem quasi Eudemicam recedere," et l. VII c. 11—15 „sedem difficultatum esse", et universe iudicat „in his tribus multo plus corruptelae et turbamenti esse, quam in septem reliquis". Tamen non totos corruptos putat; sed coniecit alteram partem (lib V—VII), sive Eth. Nic. sive Eth. Eud. deperditam, altera, seu Eth. Eud., seu Eth. Nic. expletam esse p. 641: „nonne consentaneum est fore qui mediorum librorum hinc interitum, illinc corruptionem cognatione quadam inter se contineri opinentur vel etiam coniciunt turbamenta illa eo potissimum tempore nata esse, quum altera earundem rerum tractatio nescio quo pacto pessum iret et ad hosce libros aliquo modo male transferretur?"

In studio de lib. V Eth. Nic. Jackson[1]) etiam professus est opinionem de lib. VI ac VII. Iudicat totos tres libros Eth. Eud. esse et male in Eth. Nic. translatos. In hac re demonstranda se Fischero adiungit, qui V c. 11 et VI ac VII Aristoteli abiudicat; ipse V c. 1—11 contra Fischerum negat Aristotelis esse posse. Fischeri gravissimum argumentum, capite 14 finito apertum esse locum seiunctionis partium Aristotelis et Eudemi, aggreditur

1) The Fifth Book of the Nicomachean Ethics of Aristotle by Henry Jackson M. A. Cambridge. 1879.

Jackson probando alterum tractatum quaestiunculae ἑαυτὸν ἀδικεῖν in c. 15 non esse meram repetitionem capitis 11, et haec capita (c. 11 et c. 15) unius eiusdemque auctoris procul dubio esse posse. Quod Fischer contendit priorem partem lib. V ratione dicendi Aristotele esse dignissimam, Jackson refutare conatur, negans cum reliquis Eth. Nic. congruentem dici posse. Exemplum citat V c. VIII, quod materiam continet in Eth. Nic. III et in Eth. Eud. II tractatum; tum addit p. XXVI „Now E. N. III and E. E. II differ, not inconsiderably in detail of the theory of the ἑκούσιον and the ἀκούσιον, and *it will be found on examination that V. 8 agrees in the minutest particulars with the Eudemian statement*". Quo exemplo edito concludit p. XXVII „For my own part in proportion as I have become more familiar with E. N. V = E. E. IV, the more certain I have become that, whereas its agreements with the rest of the N. E. are precisely what are to be expected from the general resemblance of the two treatises, its agreements with the rest of the E. E., both in thought and in expression, indicates a more intimate connection". Ita, quam partem Fischer Aristoteli vindicavit, reiecit Jackson et conclusit Eth. Nic. partem mediam deperditam, media Eth. Eud. expletam esse.

Eiusmodi singularem commentationem, nunc de lib. VII c. I—XI, edidit J. Cook Wilson [1]). Quae capita in tres diversas partes dividit: unam ab Aristotele, alteram ab

---

1) Aristotelian Studies I On the structure of the seventh Book of the Nicomachean Ethics, by J. Cook Wilson. M. A. Oxford 1879.

Eudemo, tertiam a Peripatetico quodam scriptam, ac postea religiose ac pie tres commentarios, ne ullum opus magistri periret, conservatos esse censet Sed minimam partem eamque dubie, Aristotelicam iudicat: p. 78 „As to the possibility of an Aristotelian element: — If it be right to ascribe Eud. Eth. VII to Eudemus, the argument in paragraph 63 makes it probable that ch. I is pre-Eudemian, and therefore (perhaps) by Aristotle. Some parts seems free from Eudemianism, but they are not on that account necessarily Aristotelian. Compare for instance, what has been said of the first versions of ch, IV and VII, paragraph 29 (β) and 32 (α).... One part at least of the treatise, if not others, seems to be neither by Aristotle nor Eudemus, namely ch. III, and therefore perhaps ch. VI §§ 1—4 also." De reliqua parte nostrorum librorum sententiam non professus est Wilson.

In editione quarta Eth. Nic. A. Grant [1]) secutus est illam Jacksonii coniecturam a recentioribus criticis alienissimam, et pluribus verbis defendit. Nam et is totos tres libros disputatos Eth. Eud. tribuit hoc proposito, Aristotelem aut distulisse tractationem de Iustitia usque ad tempus, quo Politica perfecisset, aut perfectos, deperditos esse libros. Quae vulgo testimonia mutuae rationis Eth. Nic. et Polit., quasi ab uno auctore scripta essent, proferuntur, ex ordine redarguit vir doctissimus. Quattuor sunt loci Politicorum cum Ethicis comparandi: Pol II 2. 4 cum

1) The Ethics of Aristotle illustrated with Essays and Notes by Sir Alex Grant. 4e ed. London 1885.

Eth. Nic. V 5 6, qui loci non quadrant, alter ἀντιπεπονθός, alter κατ' ἀναλογίαν ponentes; nec Pol III. 9. 3. cum E. N. V. 3. 4, ubi de lege in civitate distribuendi tractatur, quadrat propter subtilitatem argumenti ac rationis, quae est Politicorum neque Ethicorum. Quod attinet ad voces ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται et illic et hic positas, hanc difficultatem explicat auctor, librarii interpolationem esse putans. Tertius locus Pol. III. 12. 1. cum Ethicis scriptis universe est conferendus, qua de causa nullam habet auctoritatem. Quartus, Polit. IV. 9. 3, conferendus cum E. N. VII c XII. 3, quo Bendixen quaestionem se solvisse putat, voce ἀνεμπόδιστος in ambobus locis uni Aristoteli tribuenda, e gradu deicere virum clarissimum non potuit. Ponit enim Aristotelem saepissime in Politicis, cum lectorem relegat ad Ethica, summatim, quae illic dicta sunt, comprehendere una voce, ut hic, Pol. IV. 9. 3, verbo ἀνεμπόδιστος totam doctrinam voluptatis, in deperdito genuino libro disputatam, significari vult. Postea Eudemus hanc vocem e Politicis recepisse ex eaque cum notione actionis (ἐνέργεια) mixta definitionem voluptatis confecisse potest. Subtilior adhuc est eius argumentatio in ultimo loco refellendo. Conferunt multi Metaph I. 1. 17 cum E. N. VI. 4 de arte (τέχνη) ac scientia (ἐπιστήμη) tractante. Iniuste tamen, ut opinatur Grant. At, dicat aliquis, Metaph I. 1. 17. habet εἴρηται μὲν οὖν ἐν τοῖς ἠθικοῖς cet, quibus vocabulis sublatis tota illa enunciatio corrumpitur. Sed defensor audacem coniecturam profert. Asclepius commentator narrat Eudemum Aristotelis Metaphysica edidisse. Suspicatur autem Grant Eudemum, cui alteram recensionem

Eth. Nic. et translationem trium librorum e suis Ethicis in ea attribuit, edentem Metaphysica, vocabula molesta εἴρηται μὲν οὖν ἐν τοῖς ἠθικοῖς cet. his adiunxisse, ut Ethica Metaphysicis consentirent.

Postquam hoc modo demonstrare conatus est nullum locum, quem proferunt viri critici, certam ac manifestam rationem mutuam Politicorum, genuini Aristotelis scripti, et Ethicorum trium librorum dubiorum ostendere, ponit compositionem ac ordinem Eth. Nic. minus consentaneum cum illis libris esse, quam Ethic. Eud. Fines lib. VII et IX non quadrant, nam ille a voluptate ad amicitiam tractandam, hic ab amicitia tractata ad voluptatem transit. Duplex disputatio voluptatis (VII 11—15 ac X 1—6), ubi alter locus alterum haudquaquam respicit, ab Aristotele abhorret. Promisit quidem auctor E. N. II. 7. 16 se de duobus generibus Justitiae acturum esse, nec tamen accurate in lib. V fidem solvit; accuratius Eudemi indicatio (E. E. II. 20. 19.) cum Eth. Nic. V. 8. 6—12 consentit.

Multo magis tres libri disputati relegant lectorem ad Eth. Eud., quam ad Eth. Nic. e. g.: V 1. 2 ad E. E. III. 5. 1—3; V. 8. 3 ad E. E. II. 8. 10 et II. 9. 1; VI. 1. 1. ad E. E. II. 5. 1; VI. 1. 4 ad E. E. II. 4. 1; VI. 8. 1. ad E. E. I. 8. 18; VI. 12. 10 ad E. E. II. 11. 4; VII. 4. 2 et VII. 7. 1 ad E. E. III. 2. 6; VII. 9. 1 ad E. E. I. 5. 11; VII. 11. 2 ad E. E. II. 4. 2—4; VII. 14. 1 ad E. E. I. 5. 11.

Etiam multae sunt indicationes in prioribus libris Eth. Eud. rerum, quae sequuntur in illis tribus libris: ut supra narravimus, de Justitia E. E. II. 10. 19 significat V. 8.

6—12; E. E. II. 5. 8, VI. 1. 1—3; E. E. I. 8. 17. 18 accurate praesumpsit VI. 8. 1—4 itemque E. E. III. 7. 10, VI. 13., quam cogitationem nusquam in prioribus Eth Nic. invenies; E. E. II. 9. 1. indicat VII. 1. 4., quod et iam est in VI. 12. 8, conceptio Aristotelis ingenio subtilior, neque alibi in Eth. Nic. indicatum; E. E. I. 5. 11, VII. 12.

Neque posteriores libri Eth. Nic. ad illos tres libros reiciunt, ut Eth. Eud. l. VII ac VIII: e. g. E. E. VII 10. 10 ad V. 5. 8; E. E. VIII 3. 1. ad VII 12.

Postremo genus dicendi trium librorum et totum argumentum tractat vir doctissimus, quorum hoc subtilius ac magis psychologicum, ut ita dicam, vocat, illud vocibus ac notionibus ornatum, quae Aristotelis non sunt. Affert modum amplum, quo Eudemus citet, et voces solemnes disciplinae ὅρος, scil. sensu definitionis in Politicis, et συλλόγισμος πρακτικος in libro, qui inscribitur, De anima, inventas, non vero in Eth. Nic; qua de causa, ambobus post Ethic. Nic. scriptis, Aristotelem ipsum eas notiones postea repperisse suspicatur. Vox ἁπλῶς ἀγαθόν, quae tam saepe in illis tribus libris redit, neque in aliis Eth. Nic. neque in Politicis reperta, est in Eth. Eud. III fine.

Eo modo vir doctissimus multis ac amplis argumentis coniecturam, ab multis viris doctis tam alienam, comprobare conatus est.

Non multo post, Susemihlius in praefatione Eth. Nic., in Aedibus Teubneri editorum, de nostra materia disserit et paucis verbis in aliorum sententiis enumerandis suam quoque professus est. Partim ad Spengelium, partim ad Rieckherum ac Rassovium se applicat. Tres libros Aristoteli

non abiudicat et, quam primus posuit Rieckher coniecturam, quamque deinde Rassovius secutus est, eos libros altera recensione mutilatos et adulteratos esse, et ipse accipit, ita ut Spengelium falso cum priore disputatione de voluptate (E. N. VII c. 11—15) totum septimum et fortasse quintum ac sextum librum damnasse putet.

Quinque annis post, J. A. Stewart[1]) Grantii sententiam denuo tuetur vol. II p. 217. „There can be no doubt that E. E. IV, V, VI (= E. N. V, VI, VII) belong, in thought and style, rather to the E. E. than to the E. N. It is impossible to account for the fact that these three books are common to the E. N. and E. E., by supposing that their original locus was in E. N. and that they were transferred thence en bloc into the E. E. We must rather believe that they were compiled, subsequently to the composition of the E. N. from materials already at hand, and were transferred en bloc from the E. E. into the E. N. by an editor of the E. N., who wished to supply an original deficiency in that corpus, or, more probably, to repair a loss, which it had suffered". Difficultatem, quo modo auctor vel editor in sua editione duas tractationes de voluptate susciperc potuerit, amovere conatus est audaci hypothese: vol II p. 218 „The suggestion then, which I venture to make is this. — When the Eudemian compilation was made, the Nicomachean Corpus ended with part d (i. e. E. N. VIII IX περὶ φιλίας); and, when,

1) Notes on the Nicomachean Ethics of Aristotle by J. A. Stewart. M. A. Oxford 1892.

part b and c (i. e. E. E. IV, V, VI 1—10 = E. N. V, VI, VII 1—10 et „a treatise on ἡδονή", perhaps identical with that in E. N. X) of that corpus having been afterwards lost, an editor supplied the gap by inserting E. E. IV, V, VI, the treatise on ἡδονή, contained in the last named book (E. E. VI), was inserted with the rest, because the Nicomachean Corpus still ended with l. VIII, IX περὶ φιλίας. *Afterwards* however the missing Nicomachean treatise, or one very like it, was recovered, and, its original locus immediately after the discussion of ἀκρασία being now occupied by its Eudemian equivalent, it was placed, together with X 7—9, at the end of the composite edition, thus completing the Nic. Eth. as we now have the work".

Post longum intervallum nova editio, commentariis instructa, edita est a Burneto [1]) in Brittania. Cuius in praefatione ultima sententia est prolata. Pro certo habet nullam contradictionem inter tres libros, de quibus agitur, et reliqua Ethica Nicomachea exstare eisque translatis in Eth. Eud. varias difficultates nasci. Et, quae alii citant consentanea trium librorum cum Ethicis Eudemiis, non reperienda in Eth. Nic., omnia facile, inquit, in aliis Aristotelis genuinis scriptis inveniuntur et nonnulla quidem a Platone oriuntur. Confirmat propositum argumento, quod, quamquam Aristoteli laudi non est, tamen novum et haud indignum, quod consideretur, videtur. Ponit enim Eudemum notissimum,

1) The Ethics of Aristotle by John Burnet. M. A. London. Methuen & Co. 1900.

illum mathematicum, scriptorem libri quinti, qui tractatus de Iustitia alicui artis mathematicae sane rudi imputandus videatur, minime habendum esse; sed illam imbecillitatem ac turbationem cogitationis matheticae in lib. V potius Aristoteli, quamvis magistro, tribuendam esse, quippe qui hac una scientiae provincia minus excelluerit. Praeterea genus tractandi lib. VI ac VII magis dialecticum est, ut ita dicam, quam ut Eudemi esset, cuius generis dicendi, merae narrationis, exempla habemus lib. VIII ac X. De difficultate duplicis disputationis de voluptate et aliis repetitionibus non disserit, neque significat, quo usque pravitatem manifestam argumenti ac textus Aristoteli tribuere aut, interpolatione ac duplici recensione accusatis, e medio tollere velit. Tantum ad loc. E N. VII c. XI impugnat plerorumque virorum doctorum conclusionem, hunc tractatum de voluptate Eudemi esse, et subtili coniectura Aristotelem huius loci auctorem esse nobis persuadere conatur. Loco E. E. 1231. b 2. laudato, quo ἀκρασία coniungitur cum voluptate: „From this," inquit, „it has been inferred that the present book is „Eudemian," but it may also be inferred that Eudemus followed Aristotle's order of treatment. And the latter inference is far more probably; for, as we shall see, the views criticised are distinctly those of Speusippos, which must have lost some of their „actuality" by the time of Eudemos."

Igitur ultimus auctor, quem in historia quaestionis nostrae interrogavimus, eo inclinat, ut totos tres libros, sive aliquanto mutilatos sive fere intactos, Aristoteli et propter argumentum et propter formam tribuat.

In longa serie auctorum vidimus igitur sententiam ultimam plane primae contrariam; in medio multas nunc huic, nunc illi se adiungentes. Sed, ut supra vidimus, est tertia via in origine trium librorum explicanda: hos esse confusos e media parte et Eth. Nic. et Eth. Eud., quam coniecturam Rassovii persequi in accurate tribus libris inspiciendis mihi in animo est.

Primum pauca disputaturus sum de via ac ratione dicendi Aristotelis in Eth. Nic. et Eudemi in Eth. Eud., ut postea haec, ut normam iudicii, applicare possimus.

CAPUT II.

De via ac ratione dicendi Eth. Nic. et Eud.

Quando quaerimus trium librorum communium naturam, seu universe, seu partim, tractationis rationem amborum Ethicorum examinemus necesse est.

Ipse Aristoteles de sua ratione scribendi tribus locis professus est: II. c. III. [1]), I. c. IV. 5, I. c. VII. 17.

Primo loco tantum dictum est subtilitatem accuratam et acutam argumentationem in hac materia Ethices non esse exspectandam, quia, quae bona ac iusta facta Politica et Ethica tractant, multo vagiora et magis dubia sunt: *πολλὴν διαφορὰν καὶ πλάνην ἔχει.*

Ultimos duos locos Susemihlius seclusit; sed mea quidem opinione unus saltem servandus est, quia ad minorem subtilitatem accuratam demonstrationis, supra in c. III. concessam, nunc accedit explicatio rationis dicendi, quam in mente agit.

Haec sunt verba: c. IV. 5. *ἀρκτέον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν γνωρίμων, ταῦτα δὲ διττῶς· τὰ μὲν γὰρ ἡμῖν, τὰ δ' ἁπλῶς. ἴσως οὖν ἡμῖν γε ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. διὸ δεῖ τοῖς ἤθεσιν*

1) In enumeratione capitorum semper, nisi locis laudatis, numeris Romanis Zellii editionis utar.

ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν ἀκουσόμενον ἱκανῶς. ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι· καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως, οὐδὲν προσδεήσει τοῦ διότι. ὁ γὰρ τοιοῦτος ἢ ἔχει ἢ λάβοι ἂν ἀρχὰς ῥᾳδίως; et c. VII. 20. οὐκ ἀπαιτητέον δὲ οὐδὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἅπασιν ὁμοίως, ἀλλ' ἱκανὸν ἔν τισι τὸ ὅτι δειχθῆναι καλῶς [οἷον καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς] τὸ δ'ὅτι πρῶτον καὶ ἀρχή· τῶν ἀρχῶν δ'αἱ μὲν ἐπαγωγῇ θεωροῦνται, αἱ δὲ αἰσθήσει, αἱ δὲ ἐθισμῷ τινί, καὶ ἄλλαι δ'ἄλλως. μετιέναι δὲ πειρατέον ἑκάστας ἢ πεφύκασιν, καὶ σπουδαστέον ὅπως ὁρισθῶσι καλῶς. μεγάλην γὰρ ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα. δοκεῖ γὰρ πλεῖον ἢ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχὴ, καὶ πολλὰ συμφανῆ γίνεσθαι δι' αὐτῆς τῶν ζητουμένων.

Habent igitur illi duo loci idem argumentum ac consilium, quamvis magna sit auctoritas in his rebus A. Grantii, qui contendit alterum, c. IV, Inductionem, alterum, c. VII, Deductionem indicare. Cuius sententiae Grantii vestigia ac fontem vitii invenimus in eius explicatione vocum c. IV. 7. ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι. Grant, et secundum eum J. Stewart, censet illud ὅτι significare rem, quae nobis in naturae phenomenis offertur et a qua scientia naturalis, hodie prorsus experimentalis, initium capit ad evolvendas theses universas. Hoc sensu Grant iure transtulit ἀρχήν „startingpoint" et eo modo ratio in c. IV. descripta plane cum hodierna arte experimentali congruit, i. e. Inductione.

Attamen, difficultate praetermissa ἀρχήν, Grantii opinione accepta, una in sententia duas tam varias notiones habere, originalem notionem principii et novam, initii („startingpoint"), fieri non potest, ut τὸ ὅτι hoc loco meram rem

nobis oblatam significet. Est quidem res nobis oblata; sed non est merum phenomenon naturae; est res humana, actio hominis, de qua agit Ethice; est, ut ita dicam, res oblata psychologica. En quantum haec nova notio differt. Res oblata psychologica est actio hominis, qui sibi conscius est; in actione igitur haec conscientia est involuta, i. e. si illis rebus oblatis (τὰ ὅτι) utimur ut principiis (ἀρχαί) ad doctrinam statuendam, uno tempore utimur illa conscientia, fundamento nostrae doctrinae. Eo modo notio universalis, fundamentum nostrae doctrinae est, quo facto ἀρχή significationi propriae, i. e. principii, appropinquat. Minus tamen absolutum principium est, quam quod inest omnibus, utpote hominibus, ut principia geometrica. Sed principia sunt, quae in optimis hominibus (καλῶς ἠγμένοις ἔθεσιν) inveniuntur, quibus tantum Aristoteles doctrinam explicare vult. Est series principiorum, a principiis Φύσει vel ἁπλῶς γνωρίμοις usque ad principia ἡμῖν scil. πεπαιδευμένοις, καλῶς ἠγμένοις τοῖς ἔθεσι, γνώριμα. Illa Geometrices, haec Ethices; et haec principia vere sunt non res oblatae neque merae actiones; sed conscientia psychologica in iis involuta.

Hoc est fundamentum promissum in c. IV. et omittet auctor τὸ διότι quaerere. Ut hoc habet principium Aristoteles: omnes homines Beatitudinem appetunt, cui notioni explicandae ac delineandae omnem operam dat; nec tamen disserit, qua re fiat, et cur haec sit natura humana, i. e. τὸ διότι.

Contra Grant loco altero, c. VII 17., perspecto persuasum sibi habet rationem, qua noster Ethicen scripsit,

Deductionem vocari posse. In Appendice A haec enim habet: „But it is plain, that he has deserted his former view of the science as inductive, he now makes it depend on a general conception of the chief good, which is to be applied and developed". Hic quoque errat, nisi animus me fallit. Verbis enim οὐκ ἀπαιτητέον κτλ. c. VII. 20 Aristoteles idem indicare vult atque c. IV. Et hic τὸ ὅτι, a quo initium capit, non est mera actio oblata; sed conscientia psychologica „the general conception", in actione humana involuta. Etiam eo perspicuum est ἀρχή h. l. sensum principii habere, nec „startingpoint" significare, quod demonstrationes dividuntur in ἐπ' ἀρχάς et ἀπ' ἀρχῶν, ubi ἀρχή sensu principii carere non potest. Iam Stewart iudicavit Grantium nimis a vero abhorrere, si in c. VII. Deductionem disertis verbis expressam putet, et mediam viam tenere ipse conatus est, de qua infra disseremus.

Ergo in c. IV et c. VII eandem sententiam praedicat Aristoteles. Nullam rationem distinctam se sequi profitetur, neque Inductionem neque Deductionem; tantum declarat in hac provincia artium, Ethices scientia, contentos nos esse oportere, si altera notione psychologica alteram demonstrare vel potius approbare possimus.

Quousque nostra Ethica cum hoc proposito congruit?

Perlustrando Ethica, percipimus complura principia. Primum omnibus notissimum illud πᾶσα τεχνὴ καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ. Unde progreditur alia cum aliis coniungens: est discrepantia finium; illi fines eadem ratione inter sese subordinati sunt ac artes, quarum fines sunt; in illa sub-

ordinatione tandem — alias absurda esset — ad ultimum finem pervenies, qui igitur unus finis est caput ac summa omnium finium appetitorum; qua de re ipse summae artis finis est, i. e. Politicae; qui finis est omnium consensu: Beatitudo. Nunc procedit auctor ut illum ultimum finem, Beatitudinem, per partes explicet, et causas consistendi exploret. Nam secundum Paraphrasten ad c. IV *αἴτια τοῦ εἶναι τοῖς πράγμασιν* eaedem atque *τῆς γνώσεως* sunt, et solum *δι' αὐτῶν* (sc. *αἰτίων*) *δύνανται ἐκεῖνα* (sc. *πράγματα* h. l. *εὐδαιμονία*) *γινώσκεσθαι*. Quibus de causis dicit Paraphrastes: *τῶν γὰρ αἰτίων τὸ μὲν τελικόν ἐστιν, τὸ δὲ εἰδικόν, τὸ δὲ ὑλικόν, τὸ δὲ ποιητικόν· καὶ ποιητικὸν μὲν ἡ ἐνέργεια τοῦ τεχνίτου, ὑλικὸν δὲ τὰ ξύλα καὶ αἱ λίθοι ἐξ ὧν ἡ οἰκία, εἰδικὸν δὲ τὸ εἶδος τῆς οἰκίας, τελικὸν δὲ δι' ὃ ἡ οἰκία γέγονεν.*" Ita *αἴτια* Beatitudinis explorata sunt in Eth. Nic.: *τὸ τελικόν* i. e. Beatitudo ut ultimus finis vitae posita, c. IV; *τὸ εἰδικόν*, forma ac habitus, quo Beatitudo est induta, i. e. *ἐνέργεια τῆς ψυχῆς ἡ κατ' ἀρετήν*, c. VII. 9—16; *τὸ ὑλικόν*, materia, in qua Beatitudo ostenditur, i. e. *ἀρετή* nunc descripta ut *ἕξις ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς*, scil. *περὶ πράξεις*, I. c. XIII usque ad lib. III; *τὸ ποιητικόν*, vel quod agit, i. e. *ἀρετή* nunc *ἕξις προαιρετική*, vel *κατὰ προαίρεσιν* ut *βουλευτικὴν ὄρεξιν*, ultima causa, quod actio corporis nostri voluntati subiecta sit.

Non aliter pervenit auctor ad has quattuor causas Beatitudinis, quam illam ipsam invenisse eum vidimus, scil. coniungendo, quae nota noverat et, quorum discipulos sibi conscios esse praesumpsit. Ita notiones suae disciplinae definit ac delineat. Ut a prima causa, *τὸ τελικὸν αἴτιον*, Beatitudinis procedat ad secundam, *τὸ εἰδικόν*, i. e. *ἐνέργεια*

τῆς ψυχῆς ἡ κατ' ἀρετήν, ponit, omnia habere munus fungendum (ἔργον) idque bene peragendum (κατ' ἀρετήν); ut inquirat tertiam, τὸ ὑλικόν, i. e. ἕξις ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, scil. περὶ πράξεις, principium ponit, esse certamen et victoriam inter animi partes viri continentis (ἐγκρατής), et hanc victoriam reportari medium relativum sequendo; ut ad ultimam causam perveniat, τὸ ποιητικόν, i. e. ἕξις κατὰ προαίρεσιν, nos habere consilium (προαίρεσιν) omnium rerum, in quibus actio fit (ἐν οἷς ἡ πρᾶξις), defendit, idque esse hominis, qui sibi conscius sit et compos corporis actionum ideoque ipsius factorum rationem debeat.

Quam eiusmodi rationem dicendi recensuimus, neque Deductio, quae ab τὰ ἁπλῶς γνώριμα, ut ἀρχαί, initium capit absque iis casus particulares deducit, neque Inductio, quae abstrahenda re universali a permultis vel omnibus casibus particularibus ad certam pronunciationem procedit, ullo iure dici potest. Deductio in arte geometrica, cuius notiones universales in omnibus adsunt, e quibus particularia facile deriventur, Inductio in scientiis naturalibus, ubi e serie rerum oculis oblatarum, mens efficit notiones universales.

Ars psychologica, ut ita dicam, πολιτική τις, ut appellat Aristoteles novam a se ortam disciplinam, medium locum habet inter geometriam et scientiam naturalem, ita ut hic et ex principiis, quorum magis minusve conscii sumus, et e rebus, quae ut facta humana nobis offeruntur, conclusionem et notiones nostrae doctrinae efficiamus. Si revera Aristoteles proba Inductione usus esset, ab hominum factis initium cepisset, e. g. a factis fortitudinis, exque iis normam

fortitudinis explicasset et ab ea ad notionem totius virtutis et ad ultimum finem vitae, Beatitudinem, omnes virtutes continentem, progressus esset. Sed potius contrariam viam sequitur. Attamen ne Deductionem genuinam quidem adhibuit; nam nusquam ex notione universali virtutis recta via naturam singularis facti explicatam reperimus.

Stewart citat ex „Stuart Mill, Logic VI c. IX" rationem comprobandi, quae vocatur „Physical or Concrete Deduction", et rationis in Eth. Nic. adhibitae consimilem iudicat Stewart vol. I. p. 104. „Aristotle's method in Ethics is thus „inductive" or „deductive" according to the point of view from which we choose to regard it. He starts with „a general conception" framed in advance of the facts, which he applies to their interpretation; so far his method is „deductive". But the results of the application of this „general conception" are so carefully verified by appeals to experience at every step, and so often modified, to bring them into agreement with experience, that the so-called „deductive" enquiry seems not to differ from the „inductive" process of establishing generalisations by the observation of particular phenomena. In short Aristotle's method in Ethics answers pretty exactly to what Mill (Logic Book VI c. IV) calls the „Physical or Concrete Deduction".

Attamen Mill hanc rationem ad artem astronomicam et physiologicam, imprimis sociologicam adhibet. In hac, quo modo Stewart supra describit, argumentatio initium capit ab „a general conception framed *in advance* of the facts" et „applied to the interpretation of the facts", ut

conclusio, ratione deductiva comparata, tentetur novis phenomenis aut factis, iisque experimentis notio antecepta verior fiat, ut in arte sociologica initium capitur a quadam notione „Familiae"; sed eam notionem novae inquisitiones, e. g. apud populos barbaros, mutabunt ac facient veriorem.

Neque haec ratio media inter Inductionem ac Deductionem in Eth. Nic. reperiri potest. Nusquam notio antecepta singularibus casibus vel factis adstructa ac firmata est. Tunc exspectandum esset auctorem e. g. notionem virtutis ut ἕξις ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς positam, exemplis corroborasse e. g. eo, quod neque temeritas neque ignavia vera virtus haberi, ideoque rectum in medio tantum consistere possit.

Nullam harum rationum ostendunt. Eth. Nic. reapse. Inductio et Deductio rationes sunt demonstrandi; in Ethicis Aristoteles aliam adhibuit, nullo pacto cum alterutra coniungendam. Neque a factis humanis initium capit, ut ex iis notionem virtutis et porro Beatitudinis derivet, neque sua principia satis sunt absoluta, a quibus certam ac ab omnibus partibus claram deducat normam. Revera nil nisi variorum principiorum magis minusve absolutorum coniunctionem invenimus universe acceptorum; sed sane coniungit discipulis nota, quos „καλῶς ἠγμένους τοῖς ἔθεσιν" esse poscit, ut fundamentum suae doctrinae conprobandae sit. Omnia, quibus utitur, principia αἰσθήσει (c. VII. 21), nulla ἐπαγωγῇ inventa sunt. Ut supra (p. 35. infr. ac 37. supr.) ostendimus, identidem novum principium sumit et cum priore coniungit ita, ut definitio certa exstet. Et, quod tarde et pedetemptim progreditur et aptissime illa coniungit, habet

oratio speciem demonstrationis, sed revera nullam notionem ab alia deducit aut ad ullam ex aliis inducit, ut prorsus nil Inductionis Deductionisve invenias. In coniunctione principiorum ac notionum, in discipulis praesumptorum, demonstrandi vel potius approbandi vis inest. Si huic rationi nomen indere licet, rationem suggestivam, ut ita dicam, vocarem. Est genere diversa a rationibus comprobandi, Inductione ac Deductione; sed est genus rationis dicendi, quod quamvis ab ipso modeste excusatum in c. III et c. IV, tamen iam antiquitus gloriam adeptum est, „dulcis suadelae."

Cognovimus igitur in constructione doctrinae imbecillitatem quandam probandi, notiones vero, quas suggerit, certe ac clare ponuntur, et adumbratio ac definitio partium doctrinae est acuta et perspicua. Quae commendatur eo, quod, sua notione explicata, statim animadvertit, quae contra poni possunt, eaque aporia tractata e medio tollit. Ut post notionem Beatitudinis, in c. VII constitutam, aporiam de Solonis vocibus „nemo *beatus ante mortem* dici potest" solvit; in II c. II dictum est factis (πράξεσιν) habitus (ἕξεις) profici itemque habitibus facta, quam aporiam in c. IV e medio tollit; et postquam E. N. III c. III disseruit, voluntatem (βούλησιν) se ad bonum finem (τέλος ἀγαθόν) dirigere, statim enucleat, quid hic bonus finis sibi velit in c. IV.

Itaque libris I—III c. V perlectis clara doctrina nobis ante oculos est, quae certa conceptio adhuc illustratur exemplis singularium virtutum ac vitiorum. Applicantur et adhibentur notiones virtutis acquisitae ad singulares

virtutes semper sermone vulgari comparato. Quae ipsa comparatio comprobat nostram sententiam de ratione scribendi adhibita. Immo a sermone vulgari i. e. a notionibus discipulis notis incipit in vera virtute describenda neque a factis, quae varie nobis se offerunt.

In hac parte Ethices ratio dicendi — quod haud est inexspectatum in materia, quae est descriptio ac expositio virtutum neque acuta definitio notionum — multo levior et amplior fit. Tamen etiam hic adumbrationi perfectae studet auctor, imprimis materiae uniuscuiusque virtutis definiendae magnam operam dat, ab amplissima sermoni vulgari nota notione incipiens, pergit, donec ad strictissimam ac, ut ita dicam, ipsissimam singularis virtutis notionem progressus sit.

In enumerandis virtutibus non arbitrariam viam secutus est Aristoteles; sed manifeste ab ima humana natura, quam habet homo cum animalibus communem ad summam hominis solius propriam procedit, i. e. a fortitudine et continentia, quae maxime sunt appetentes (ὀρεκτικαί) usque ad iustitiam, summam virtutem hominis inter homines, animalis natura politici (ζῶον πολιτικόν). Quod Eth. Eud. et M. M. πραότητα post temperantiam tractant, nullam causam video, cur Aristotelem corrigi oporteat, qui eam, ut humanitatem quandam, in consuetudine hominum adhibitam, postea (IV. c. V) in numero subtiliorum virtutum tractavit.

Cognoscimus, quomodo Aristoteles notionem virtutis antea acquisitam ad quamque virtutem applicet, et elementa 1° ἕξις, 2° προαιρετική, 3° ἐν μεσότητι οὖσα, 4° ἐν μεσότητι

scil. τῇ πρὸς ἡμᾶς, in virtute singulari significet, idque faciat subtilissime in prima virtute, fortitudine scil. Quamquam omnia particularia non persequitur, ut restet e. g. demonstrari honorem in viro magnanimo (μεγαλόψυχος) eodem genere non esse ac in ambitioso (φιλότιμος); tamen gravitatem ac subtilitatem in nova sua arte psychologica consequitur ab aequalibus non superatam, cuius rei haec exempla do: E. N. III. c. IX in fortitudinis tractatione contendit semper, si virtus vocari possit, dolorem vincendum ut dolorem sentiendum esse, neque unquam virtutem, i. e. victoriam doloris, in cupiditatem doloris patiendi degenerari oportere; eodem loco viro nobili dolorem, in fortiter agendo superandum, maiorem esse, quia de re maioris momenti agi sentit, itaque vocem „crescit sub pondere virtus" veram factam esse; E. N. III c. XI, cupiditatum (ἐπιθυμιῶν) duo genera esse, commune (κοινόν) et privatum (ἴδιον), et veram intemperantiam oriri hoc genere privato extollendo, ita ut omnes subtiliores ac privatae cupiditates eo ipso, nec vero, quod nimis indulgeat, hominem faciant intemperantem; E. N. IV c. II subtilis distinctio apud magnificentiam haec est: praeter quod homo magnificus multa ac magna impendit, etiam facit quadam arte ac elegantia, „ἐπιστήμονι ἔοικεν".

Quo longius procedit auctor in serie virtutum, eo minus clare elementa notionis suae virtutis omnia significat, quia incertas ac obscuras notiones, in sermone vulgari repertas, rerum natura ad priorem claram formam delineare non potest.

In fine lib. IV. tractatio verecundiae interrupta est

extremis vitiis huius virtutis omissis. Praeterea attentionem movet, quod E. N. II. c. VII. tractatio duorum animi motuum (πάθη), scil. verecundiae (αἰδώς) et nemesis (νέμεσις) promissa est, cum ulterior harum tractationum nunc, post verecundiam tractatam, desit. Haec vestigia sunt interruptionis ac corruptionis finis lib. IV. Tractationem autem Justitiae, seu in nostro lib. V, seu in alia tractatione, per se exspectandam esse, imprimis eo apparet, quod in Ethicis, ut provincia Politicorum, Justitia, quae est horum coniunctio, desiderari nullo pacto potest, nedum disertis verbis promissa sit, E. N. II. c. VII. Cum Susemihlio ac Euckenio totum c. VII, quod enumerationem virtutum ac vitiorum continet, secludendi nullam causam video.

Manifestum igitur mihi est, finem lib. IV esse interruptum et Aristotelis tractatum de Justitia desiderari. Utrum lib. V expleat desiderium necne, infra disceptabitur.

Transeamus exordio Eth. Nic. usque ad libros addubitatos perlustrato ad Ethica Eudemia.

Jam obiter legenti perspicuum est, quantum haec differant ab Eth. Nic. Licet primo obtutu Schleiermacheri accusatio, Eth. Eud. operi tessellato disiectis membris consimilia esse, multa prae se ferat, tamen diligenter inquirenti unam continuam doctrinam reperire continget. Causa principalis cur lector identidem abstrahatur neque animum assidue ad viam demonstrationis attendere possit, est — praetermissis repetitionibus ac terminis mutabilibus — quod auctor initium capit a difficultatibus et aporiis exspectatis, quae partim in vulgari opinione praesto sunt, et ad earum solu-

tionem aggreditur, antequam suam doctrinam clare exposuit, qua facile omnia difficilia e medio sustulisset. Et hoc de industria facit; nam disertis verbis hanc rationem dicendi professus est: E. E. I. c. III. 3. *ταύτας οὖν καλῶς ἔχει τὰς δόξας ἐξετάζειν· οἱ γὰρ τῶν ἀμφισβητούντων ἔλεγχοι τῶν ἐναντιουμένων αὐτοῖς λόγων ἀποδείξεις εἰσίν.*" Et apertius sententia haec expressa est verbis, seu Eudemi, seu Aristotelis: E. N. VII. c. I. 5. *δεῖ δὲ ὥσπερ τῶν ἄλλων τιθέντας τὰ φαινόμενα καὶ πρῶτον διαπορήσαντας οὕτω δεικνύναι μάλιστα μὲν πάντα τὰ ἔνδοξα περὶ ταῦτα τὰ πάθη, εἰ δὲ μὴ, τὰ πλεῖστα καὶ κυριώτατα· ἐὰν γὰρ λύηταί τε τὰ δυσχερῆ καὶ καταλείπηται τὰ ἔνδοξα, δεδειγμένον ἂν εἴη ἱκανῶς.* Plane contrariam viam sequebatur Aristoteles, ut supra (p. 40. med.) vidimus.

Sunt, qui Eth. Eud. meram paraphrasen Eth. Nic. vocaverint; sed accurate inspectanti maior discrepantia horum est, et quod ad argumentum et quod ad rationem et quod ad viam demonstrationis attinet, quam ut hoc iure contendant. Universe via demonstrationis Eudemi eadem est atque in Eth. Nic.; sed in ipsis partibus differt. Significavimus in Eth. Nic. esse quattuor partes, congruentes cum quattuor causis (*αἴτια*) scil.: *εὐδαιμονία — ἐνέργεια τῆς ψυχῆς κατ' ἀρετήν — ἀρετή*, ut *ἕξις ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς — ἀρετή*, ut *ἕξις προαιρετική*. Vide Eudemum in his partibus viam Aristoteli contrariam sequi. Apparet nunc loqui discipulum, qui notam magistri doctrinam eiusque notas conclusiones denuo tractet. Incipit Eudemus a nomine ac notione complicata, quae ab Aristotele paullatim ex elementis componebatur, et inde repetit elementa,

quibus iam accepta notio consistit. Rem ipsam recenseamus. Aristoteles viam sequitur: pars I: est appetitio finium; est hierarchia finium et eo modo unus ultimus finis, omnes alios continens, qui est εὐδαιμονία. Eudemus initium capit a voce ac notione εὐδαιμονία ut μέγιστον καὶ ἄριστον ἀνθρώπῳ ἀγαθῶν (scil. πρακτῶν) et, tractatis aporiis (βίος πολιτικός, ἀπολαυστικός, θεωρητικός) ac Platonis doctrina redarguta, tandem explicat, quid hoc ἄριστον ἀνθρώπῳ sibi velit, et ad eadem elementa ac Aristoteles pervenit. (E. E. I c. VIII. 20.): τὸ τέλος semper ἄριστον est τῶν ὑφ' αὑτό, ideo τὸ ἄριστον ἀνθρώπῳ est τὸ τέλος τῶν ἀνθρώπῳ πρακτῶν i. e. τέλος principalis disciplinae, scil. Politices. In secunda parte Aristoteles Beatitudini, ut τελειότατον τέλος scil. ἐνεργειῶν, sequentia adiungit, ponendo, in omnibus esse munus (ἔργον) fungendum, unde facile ad virtutem pervenit. Iterum Eudemus contra primo enunciat nomen ac notionem virtutis et tunc demum explicat: ἀρετήν esse βελτίστην ἕξιν omnium rerum, quarum χρῆσις vel ἔργον existat, ratione Aristotelica, ut intellegitur, mirifice conversa. Quae conversio non sine effectu est; nam Aristoteles doctrinam suam, esse munus (ἔργον) in omnibus fungendum, cum Beatitudine prioris libri ut τελειότατον τέλος scil. ἐνεργειῶν, coniungere potest; Eudemus, qui post Beatitudinem subito notionem virtutis ponit, novum diversum principium profert ideoque vocibus „ἄλλην ἀρχὴν λάβωμεν" incipit. Itaque apud Eudemum duae series procedunt, altera a Beatitudine, altera a virtutis notione. Ideo auctori, ut Beatitudinem per virtutis notionem explicet et hanc cum illa coniungat, verborum ludo utendum est: Eth. Eud. II c. I. 8: ἐνέργεια

τῆς βελτίστης ἕξεως est βελτίστη ἐνέργεια; quia ἡ ἀρετή est βελτίστη ἕξις, ἡ ἐνέργεια τῆς ἀρετῆς est ψυχῆς ἄριστον. Sed erat ἡ εὐδαιμονία τὸ ἄριστον, ergo est ἡ εὐδαιμονία, ψυχῆς ἀγαθῆς ἐνέργεια. Vide, quo modo Aristoteles omnia principia subtiliter conserat: Pars I: sunt τέλη, est τελειότατον τέλος scil. ἐνεργειῶν (i. e. εὐδαιμονία); Pars II: est in omnibus munus fungendum (ἔργον), quod bene perfici potest, una notione: ἐνέργεια τῆς ψυχῆς κατ' ἀρετήν. Eudemum vero, qui in lib. I a Beatitudine incipit, quae apud Aristotelem in fine primae partis describitur, et in lib. II a virtute, apud Aristotelem in fine secundae partis, postea illas coniungere oportet, quamvis inanibus vocibus.

Etiam hac Eudemi explicatione virtutis effectum est ut, quae sunt partes secunda et tertia in Eth. Nic., una fiant in Eth. Eud. Nam in Eth. Nic. posita, in omnibus rebus esse munus fungendum (ἔργον) idque bene (κατ' ἀρετήν), sequitur pars II. i. e. αἴτιον εἰδικόν Paraphrastis: ἐνέργεια κατ' ἀρετήν, in qua confirmatur, e victoria hominis continentis (τοῦ ἐγκρατοῦς) virtutem nasci eamque habitum (ἕξιν) fieri cet. Pars III. i. e. αἴτιον ὑλικόν Paraphrastis, agit de virtute ut ἕξις ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, scil. περὶ πράξεις, et clare definita est. Contra in Eth. Eud tantum de virtute agitur, posito, munere in omnibus rebus esse fungendum, omissa omni interna pugna viri continentis, et ut βελτίστη ἕξις explicatur. Ita partes II et III Eth. Nic. cum una parte II Eth. Eud. congruunt. Quae restant partes, quarta Eth. Nic., tertia Eth. Eud., de consilio (προαίρεσις) et voluntate (ἑκών), eandem rationem inter se habent ac priores. Aristoteles ad tertiam partem i. e. ἕξις περὶ πράξεις scil.

προαιρετική sequentia applicat, et ita de voluntate (ἑκών ac ἄκων) definit, quantum homo libera voluntate agere dici possit, ita ut προαίρεσιν ut ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν describat, et de τὰ ἐφ' ἡμῖν annotet, actionem corporis in nostra potestate esse et eo modo etiam habitum (ἕξιν), nam τὸ μὲν οὖν ἀγνοεῖν ὅτι ἐκ τοῦ ἐνεργεῖν περὶ ἕκαστα αἱ ἕξεις γίνονται, κομιδῇ ἀναισθητοῦ (E. N. III. c. V. 12). Ita describit sensum, hominem esse principium (ἀρχήν) factorum suorum. Suo more Eudemus ab Aristotelis conclusione initium capit ponendo, hominem principium (ἀρχήν) factorum esse. Unde etiam fit ut Aristoteles in lib. III primo notionem ἄκων definiat et inde ἑκών, Eudemus notionem ἑκών et inde ἄκων.

Hanc viam demonstrationis Eth. Nic. et Eud. discrepantem descripsimus, ut facile appareat, quae sit ratio eorum. Manifestum est, ni fallor, Eth. Eud. esse propriam tractationem materiae plane notae. Ut discipulus et epigonus rerum natura nonnulla subtilius confecit, cuius rei haec exempla do: I c. IV; E. N. tantum habent βίος πολιτικός, ἀπολαυστικός, θεωρητικός, E. E. novum genus addit: τῶν <οὐδ'> ἀμφισβητούντων τῆς τοιαύτης, εὐημερίας ἀλλ' ὡς τῶν ἀναγκαίων χάριν σπουδαζομένων οἷον τῶν περὶ τὰς τέχνας τὰς Φορτικὰς καὶ τῶν περὶ χρηματισμὸν καὶ τὰς βαναύσους"; I. c. V. πόλλα γάρ ἐστι τοιαῦτα τῶν ἀποβαινόντων <δι' ἃ> προΐενται τὸ ζῆν, οἷον νόσους, περιωδυνίας, χειμῶνας ... ἔτι δὲ πολλὰ τῶν τε μηδεμίαν ἐχόντων ἡδονὴν ἢ λύπην, καὶ τῶν ἐχόντων μὲν ἡδονὴν μὴ καλὴν δὲ τοιαῦτά ἐστιν ὥστε τὸ μὴ εἶναι κρεῖττον εἶναι τοῦ ζῆν." Quae est subtilitas minime Aristotelica; nam Aristoteles, quanti momenti sit vita pro tantis doloribus, non interrogat; sed vita suscepta tunc ad quod tendamus,

quaerit; III c. V. 1. paucis verbis ad Eth. Nic. additur, honorem viri magnanimi (μεγαλόψυχος) ab viri ambitiosi differre; III c. I. 15. notionibus etiam in Eth. Nic. expositis, scil. imaginibus fortitudinis, nomina addit: πολιτικήν, στρατιωτικήν.

Sed haec sunt parva neque magni momenti. In summa ad gravitatem ac sinceritatem magistri Eudemus non pervenit, „ἄκραντα γαρύεται Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον" Eandem doctrinam tractat, quae paene perfecta a magistro ei tantum repetenda erat. Attamen, quod est Eudemi proprium in Eth. Eud., funditus paene Ethica Aristotelis delevit. Fundamentum sustulit, propterea quod superbum illud Aristotelis ἐφ' ἡμῖν ἡ ἀρετή nusquam invenitur neque notiones, quae hoc approbant: actionis corporis nos omnes compotes esse et has actiones habitus (ἕξεις) parere, denique „τὸ δ' ἀγνοεῖν ὅτι ἐκ τοῦ ἐνεργεῖν περὶ ἕκαστα αἱ ἕξεις γίνονται, κομιδῇ ἀναισθητοῦ" (E. N. III c. V. 12.). Hoc fundamentum suae doctrinae Aristoteles vocat consilium (προαίρεσιν). Eudemus hanc notionem disertis verbis improbat et pro „κατὰ προαίρεσιν" ponit „κατὰ διάνοιαν" (E. E. II. c. VIII. 2.). Effectus magnus est. Norma agendi non amplius est προαίρεσις, sed διάνοια. Videtur haec esse gravior norma, et Eudemus hoc modo totam doctrinam Aristotelis facere ampliorem. Sed animadverte, quid revera hac mutatione efficiatur. Est quidem διάνοια gravior notio quam προαίρεσις; sed simul incertior normae ethicae. Transgreditur Eudemus fines Ethices et campum artis Metaphysicae invadit, cum Aristoteles clara voce προαίρεσις acute fines Ethices definiverit. Est in notione διανοίας quaedam vis intuitiva simulque

quaedam incertitudo ac dubitatio, cum προαίρεσις tantum, quae nos conscii faciamus, significet ideoque sensus certus ac definitus fiat, imprimis propter quod Aristoteles addidit, notiones προαίρεσιν ac ἑκών esse, si rerum, in quibus sit factum, non inscii simus (εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις).

Et, quod sic norma interna, ut ita dicam, Ethices incerta fit, externae normae quaeruntur, et hinc est, ut Eudemus magis Aristotele ἡδονήν et λυπήν ut normas in Ethicen introducat. Quocum etiam connexum est, certaminis interni continentiae (ἐγκρατείας) in Eth. Eud. pluries mentionem factam esse. Rerum natura fert, quando notio principalis doctrinae magis dubia est, etiam rationem dicendi mutari. Hinc igitur animus Eth. Eud. minus logicus ac theoreticus et magis practicus, quod maxime Eudemi proprium dici potest. Haec omnia non ex illa sola voce διάνοια derivamus; sed, praeter quod illa διάνοια nobis est notio Eudemi, qua eius animus optime ostenditur, et multa exempla ac indicationes in Eth. Eud. huius descripti animi proferre possumus. Imprimis eo apparet, quod pro Aristotelis claro sensu voluntatis (ἑκών), scil. quae quis conscius facit, Eudemus eidem aliquid intuitivi addit, notione voluntatis (βούλησις) in voluntarii inclusa. Concedo magis vitae aptum esse, cupidinem, contra quam Ethice practica certat eiusque impugnationem, normam ac principium poni. Sed sublimius est, ut Aristoteles fecit, notionem τοῦ ἑκουσίου ab illa βουλήσεως solvere: E. N. III. c. III. τοῦ μὲν γὰρ ἑκουσίου καὶ παῖδες καὶ τὰ ἄλλα ζῷα κοινωνεῖ, προαιρέσεως δ' οὔ καὶ τὰ ἐξαίφνης ἑκούσια μὲν λέγομεν, κατὰ προαίρεσιν δ' οὔ testificantur igitur τὸ ἑκούσιον hominis adulti, non subito (ἐξαίφνης)

agentis, plane cum consilio (προαίρεσις) congruere. Sed Eth. Eud. habet ἑκούσιον hominis adulti, quod προαίρεσις dici non potest propterea quod aliquantum inest voluntatis (βουλήσεως). Vide E. E. II. c. VIII. 1. τὸ μὲν γὰρ κατὰ βούλησιν ὡς οὐκ ἀκούσιον ἀπεδείχθη ἀλλὰ μᾶλλον πᾶν ὃ βούλεται, καὶ ἑκούσιον (ἀλλ' ὅτι καὶ μὴ βουλόμενον ἐνδέχεται πράττειν, ἑκόντα, τοῦτο δέδεικται μόνον)· πολλὰ δὲ βουλόμενον πράττομεν ἐξαίφνης, προαιρεῖται δ' οὐδὲις οὐδὲν ἐξαίφνης. Et porro c. VIII. 8. ὥστε ὁ ἀκρατὴς μᾶλλον ἑκὼν καὶ οὐ βίᾳ, et § 10 ἐν δὲ τῷ ἀκρατεῖ καὶ ἐγκρατεῖ ἡ καθ' αὑτὸν ὁρμὴ ἐνοῦσα ἄγει (ἄμφω γὰρ ἔχει) ὥστε οὐ βίᾳ οὐδέτερος, ἀλλ' ἑκὼν διά γε ταῦτα πράττοι ἄν; et etiam expressius auctor se explicat E. E. II. c. VII. p. 1220. a 37. ὁ δ' ἀκρατὴς ὁ κατὰ τὴν ἐπιθιμίαν παρὰ τὸν λογισμὸν οἷος πράττειν . . . ἑκὼν ἄρα πράξει· καὶ ἑκούσιον τὸ κατ' ἐπιθυμίαν.

Qua cum notione voluntatis ac voluntarii etiam coniuncta est abhorrens tractatio voluptatis in Eth. Eud. ut norma, ut supra indicavimus. Eth. Nic. II c. III σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι τῶν ἕξεων τὴν ἐπιγινομένην ἡδονὴν ἢ λυπὴν τοῖς ἔργοις clare naturam voluptatis exposuit. Quando virtus καλοῦ ἕνεκα perfecta est, voluptas coronat opus. Eudemus contra, magis ad praxin spectans, voluptate ac dolore normis externis utitur eoque voluptatem partem principalem in virtute agere sinit. Propriam sedem Eudemus voluptati in animo attribuit, primo E. E. I c. I. ac I c. IV, ubi aliorum opinionem profert; postea E. E. II c. I suam ipsius sententiam, τὰ ἐν ψυχῇ enumerans: ἀρετή, Φρόνησις, ἡδονή. Cuius maioris momenti voluptatis in Eth. Eud. etiam testimonium do E. E. II c. X, ubi voluptas causa efficiens

describitur conturbationis inter *Φαινόμενον ἀγαθόν* et *ἁπλῶς ἀγαθόν*; huius enim fraudis (*ἀπάτης*) *αἴτιον δὲ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρόν*; et E. E. II c. IV. 4 *δι' ἡδονὰς καὶ λυπὰς φαύλους εἶναι φαμέν.*

Eth. Eud., quo modo *τὸ ἑκούσιον*, eodem quandam notionem intuitivam habere, etiam eo manifestum est, quod in Eth. Eud. disertis verbis duo genera *Φύσει* inveniuntur: E. E. II c. VIII. 15. 1° „quae a primo inde ortu omnes comitantur", 2° „quae, dum licet indolem recta via procedere, nobis eveniunt", ut transfert Fritzsche, cum Aristoteles tantum unum noverit (E. N. II c. I.). Eudemi alterum genus, notionis scil. latentis facultatis, etiam habet Aristoteles sensu *Φύσεως*; sed non evolvit in *Φύσει*. Supra significavimus, tali animo Eth. Eud. rationem scribendi minus reddi accuratam ac logicam et minus expositioni theoreticae accommodatam. Vide, e. g., quomodo Platonis doctrinam impugnet Eth. Eud. I c. VIII, et Platonis *αὐτὸ τὸ ἀγαθόν* despiciat, quod *λογικῶς καὶ κενῶς* dictum sit, *οὐ χρήσιμον τῇ πολιτικῇ*. Quantum differt ab Aristotele, qui a principio doctrinae de *ὕστερον* ac *πρότερον* initium capit. Quod re perdidit certae adumbrationis Ethicae suae normae, sublimitate formae reficere conatur, et doctrinam Theologiae asserit multis dei mentionibus: I c. VII. 2. *ἀνθρώπινον δὲ λέγομεν (ἀγαθόν) ὅτι τάχ' ἂν εἴη καὶ βελτίονός τινος ἄλλου τῶν ὄντων εὐδαιμονία οἷον θεοῦ*; c. VIII. 4. *τοῦτο δὲ λέγομεν οὕτως διότι ἔνια τῶν ὄντων οὐθὲν μετέχει κινήσεως, ὥστε οὐδὲ τῶν ἀγαθῶν καὶ ταῦτα ἴσως ἄριστα τὴν Φύσιν ἐστίν.* Quam religionem expressius confitetur I. c. VIII. 7. *ἐν οὐσίᾳ ὁ νοῦς καὶ ὁ θεός*, et II. c X *τέλος Φύσει ἀεὶ ἀγαθόν*, et *βού-*

λητις φύσει ἐστὶ τοῦ ἀγαθοῦ, quibus vocibus vim intuitivae βουλήσεως profitetur, neque differt a religiosis dictis poetae:

„Ein guter Mensch in seinem dunkeln Drange
Ist sich des rechten Weges wohl bewuszt."

Cognovimus omnia haec Eudemi propria, incertitudinem normae agendi definitae, tractationem magis practicam, minus theoreticam, animum religiosum, ex sola mutatione notionis voluntatis, ut causae efficientis nostrarum actionum, nasci, quae vocibus κατὰ διάνοιαν pro κατὰ προαίρεσιν sit manifestata. Hoc etiam rationi scribendi officere inaccuratis terminis (ἕξις ἢ δύναμις) et nimia loquacitate ac amplitutidine dicendi, ita ut saepenumero se ipse repetat et eadem identidem retractet, ut novi aliquid addat, facile est intellectu, quandoquidem incertitudinem cogitationis perturbatione rationis scribendi ad lucem venire necessarium sit.

Summatim naturam Eth. Eud. descripsi, nec huius loci est penitus hanc materiam tractare; nam fuisset proprium opus omnia turbamenta elucubrare et accuratam descriptionem rationis scribendi proferre.

Quod attinet ad verborum usum, rerum natura fert discipulum non multum a magistro discrepare, imprimis eandem doctrinam iisdem terminis adhibitis tradentem. Nonnulla animadverti propria: ἄλλην ἀρχὴν λάβωμεν; ἀληθῶς μὲν σαφῶς δ'οὔ; φύσει et ἁπλῶς saepius adhibita. Dubito, num voce λαμβάνειν eadem significatione Aristoteles et Eudemus usi sint; contendere velim Eudemum hac voce magis absoluto sensu usum esse. Sed verborum inquisitione accu-

rata supersedi, quod interna varietate investiganda maiora acquirenda esse putavi.

Virtutum singularium tractatio Eudemi Eth. Nic sequitur; sed accurate non definit, ut Aristoteles, materiam uniuscuiusque virtutis, ita ut ab ampliore notione, in sermone vulgari inventa, ad restrictiorem suam progrediatur. In natura definienda dubitat. In enumeratione enim (E. E. II. c. III. 5.) omnes virtutes, nec non, quas postea (E. E. III. c. VII.) ut παθητικὰς μεσότητας singulatim tractat, πάθη vocat, distinctione quidem inter ἕξιν vel διάθεσιν et πάθος non, omissa et quamquam virtutem disertis verbis declarat esse διάθεσιν: E. E. II. c. I. 24. καὶ ἡ ἀρετὴ ἄρα ἡ τοιαύτη διάθεσις ἐστὶν ἣ γίνεταί τε ὑπὸ τῶν ἀρίστων περὶ ψυχὴν κινήσεων καὶ ἀφ' ἧς πράττεται τὰ ἄριστα τῆς ψυχῆς ἔργα καὶ πάθη, et manifeste approbat discrepantiam, II. c. IV. 2. αἱ μὲν γὰρ δυνάμεις καὶ αἱ ἕξεις τῶν παθημάτων, τὰ δὲ πάθη λύπῃ καὶ ἡδονῇ διώρισται. Praeterea plures habet, quam Aristoteles, ἀρετὰς μεσότητας περὶ τὰ πάθη; nam ille tantum verecundiam (αἰδώς) et nemesin (νέμεσις), Eudemus his gravitatem (σεμνότητα), Aristoteli ignotam, et amicitiam (φιλίαν) ac veritatem (ἀλήθειαν), habitus apud Aristotelem, addit.

Descriptionem utrorumque Ethicorum persecutus sum usque ad tres libros addubitatos. Qui hos sequuntur libri, quantum ad illustrandam tractationem trium librorum utiles apparebunt, eorum mentionem faciam.

CAPUT III.

De libro V Eth. Nic.

Primum addubitatum, librum quintum, perlustrabimus, capita singulatim tractantes.

CAPUT I argumento primo obtutu Aristotelicum esse videtur. Nam, ut in tractatione fortitudinis et temperantiae, et hic initium capit a factis humanis in sermone vulgari iustis habitis, itemque ab ampliore notione eorum, quae contra legem fiunt (τὰ παράνομα) ad particularem iniquarum rerum (τὰ ἄνισα) procedit, secundum quod indicavit E. N. II c. VII. 16. περὶ δὲ δικαιοσύνης, ἐπεὶ οὐχ ἁπλῶς λέγεται μετὰ ταῦτα διελόμενοι περὶ ἑκατέρας ἐροῦμεν, πῶς μεσότητές εἰσιν· ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν λογικῶν ἀρετῶν. Etiam Iustitiam notioni suae virtutis applicat addendo consilio verbis „καὶ βούλονται τὰ δίκαια (scil. οἱ δικαιοπραγοῦντες)" in § 3.

Sunt complures subtilitates Aristotelem in mentem revocantes, e. g.: § 9 οἱ δὲ ἄνθρωποι ταῦτα (sc. ἁπλῶς ἀγαθὰ) εὔχονται καὶ διώκουσιν· δεῖ δὲ οὐ, ἀλλ' εὔχεσθαι μὲν τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ καὶ αὐτοῖς ἀγαθὰ εἶναι, αἱρεῖσθαι δὲ τὰ αὐτοῖς ἀγαθά. Qui sensus plane congruit cum aporia soluta, E. N. III c. IV. 4. ἆρα φατέον ἁπλῶς μὲν κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν εἶναι τἀγαθόν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον· τῷ μὲν οὖν

σπουδαίῳ τὸ κατ'ἀλήθειαν εἶναι τῷ δὲ φαύλῳ τὸ τυχόν .... ὁ σπουδαῖος γὰρ ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς καὶ ἐν ἑκάστοις τἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται. In Eth. Eud. nusquam hanc varietatem voluntatis invenies; tantum noverunt illud βούλησίς ἐστι φύσει τοῦ ἀγαθοῦ.

Etiam § 15 magistrum indicat, explicatio, quo modo tota virtus Iustitia sit, quod, quae contra legem aguntur, una toti virtuti contraria sunt, et § 13: οἱ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων, στοχαζόμενοι ἢ τοῦ κοινῇ συμφέροντος πᾶσιν .... ὥστε ἕνα μὲν τρόπον δίκαια λέγομεν τὰ ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ εὐδαιμονίας καὶ τῶν μορίων αὐτῆς τῇ πολιτικῇ κοινωνίᾳ. Quo modo tota virtus quandam vim alienam (τὸ πρὸς ἕτερον), qua caret singularis virtus, adepta est, eo ipso, quod tota virtus, omnia legitima continens, ita cum hominibus coniuncta est. Inde ἡ δικαιοσύνη μόνη τῶν ἀρετῶν ἀλλότριον ἀγαθὸν δοκεῖ εἶναι.

De probitate huius capitis nemo dubitat, nisi Grant, alii, qui totos tres libros in Eth. Eud. transferunt quorumque opiniones in fine, Conclusione, tractabimus.

Nonnullae quaestiunculae perlegenti sese offerunt: § 4 διὸ καὶ ἡμῖν — § 8 καὶ ἡ ἀδικία Susemihl haec verba delevit „forte ex Eudemo deprompta sunt". Quamquam his omissis nemo aliquid desideraret; tamen facile est intellectu, qua de re Aristoteles hoc loco discrepantiam inter habitum ac facultatem denuo explicet; nam iustitia haec habitus quidem est; sed non communi sensu. Ipsa explicatio cum Aristotele conspirat, Metaph. θ p. 1046. b. 1, dum Eudemus semper indiligenter vocibus ἕξις ἢ δύναμις utitur, e. g. E. E. II c. I τῶν δὲ ἐν ψυχῇ τὰ μὲν

ἕξεις ἢ δυνάμεις εἰσὶ, τὰ δὲ ἐνέργειαι καὶ κινήσεις. Contra his verbis, § 4—§ 8, retentis via cogitationum recte pergi potest neque Stewart iure annotat I p. 379 „the writer seems to be suddenly struck by the *logical* importance of this last point ..... *dismissing* entirely the really important *ethical* doctrine". Haec enim est recta via: § 4 habitus contra facultatem ac scientiam descriptus; § 5 habitus cognitus est ex habitu contrario nec non ex uno genere eorum, quae ex illo eveniunt, scil. factis; § 6 si facta sunt varia (πλεοναχῶς λέγεται), etiam habitus erit varius; et tum, § 7, pergit: apparet igitur (ἔοικε δέ) facta esse varia; ergo et habitus est varius: εἰλήφθω δὴ ὁ ἄδικος ποσαχῶς λέγεται."

Vocabula in § 4 „ἕξις δ' ἡ ἐναντία τῶν ἐναντίων οὔ" multas coniecturas moverunt: Spengelius ἥ ἐναντία, Hampke ἡ ἐναντία aut τοῦ ἐναντίου pro τῶν ἐναντίων, Muretus ἡ αὐτή pro ἡ ἐναντία. Sed non video difficultatem neque corruptionem. Sensus sic explicandus est: alter habitus nil attinet ad ea, quae ex altero contrario eveniunt, i. e. unus habitus cum duobus contrariis generibus factorum coniungi non potest. Revera τῶν ἐναντίων hoc loco idem vult atque Hampkii ἐναντίου; sed ipsi habitui auctor anteponit facta, quae ex habitu eveniunt, quod hic quaeritur, an ex altero habitu alia facta, quae eveniunt, exspectanda sint.

Tandem § 8 δοκεῖ δὲ ὅτε παράνομος ἄδικος εἶναι καὶ ὁ πλεονέκτης καὶ ἄνισος multos viros doctos offendit. Spengelius ac Hampke secluserunt καὶ ὁ πλεονέκτης, quod difficultatem affert, quia sequentia ἐπεὶ δὲ καὶ πλεονέκτης ὁ ἄδικος, revocatio ad priora est. Trendelenburg ac Jackson expunxerunt

ἄνισος; non tamen iure. Servare omnia velim, quia facile est intellectu, hanc minus accuratam enumerationem varia genera iniuriae significare notionibus nondum acute distinctis.

CAPUT II arte cum primo connexum est. A notione in tota virtute implicata, quae est τὸ πρὸς ἕτερον, facile ad iustitiam particularem pervenit, quae hac notione consistit. Subtilissimum est initium, quod capit ab adulterio, lucri causa commisso, in quo adsunt duo elementa, et vitium morale et quaestus, i. e. vitium sociale, ut ita dicam. Totam hanc iustitiam particularem nomine non appellat, ἢ μὲν περὶ τιμὴν ἢ χρήματα ἢ σωτηρίαν ἢ εἴ τινι ἔχοιμεν ἕνι ὀνόματι περιλαβεῖν ταῦτα πάντα καὶ δι' ἡδονὴν τὴν ἀπὸ τοῦ κέρδους contra totam virtutem vel iustitiam, ἢ δὲ περὶ ἅπαντα περὶ ὅσα ὁ σπουδαῖος. Justitiam particularem dividit auctor in unam distributivam (τὸ διανεμητικὸν δίκαιον) ac alteram, ut plerique vocant, correctivam (τὸ διορθωτικὸν δίκαιον), quae est in hominum commercio et cuius duo genera sunt: τούτου δὲ μέρη δύο· τῶν γὰρ συναλλαγμάτων τὰ μὲν ἑκούσια, τὰ δὲ ἀκούσια (§ 13).'

Omnia proba ac genuina videntur exceptis p. 1130, b. 6. ὅτι μὲν οὖν — 29 πολιτῇ, quae sunt amplior repetitio Eudemum in mentem vocans, nec non, quia voces ἀρετῆς χρῆσις in memoriam revocant E. E. II. c. I. 7. ἔστω ψυχῆς ἔργον τὸ ζῆν ποιεῖν τοῦ δὲ χρῆσις καὶ ἐγρήγορσις; cum Rieckhero, Rassovio, Ramsauero, Susemihlio ea respuo.

Quod attinet ad argumentum, omnia bene procedunt: c. III tractat iustitiam distributivam, quam ut medium depingit. Quodsi medium semper duorum est, et, quod

hic et rerum et personarum medium esse oportet, inter quattor terminos exstat haec iustitia. Ita est analogia inter hos, scil. analogia geometrica, quod ratio rerum cum personarum congruit. Tantum norma differt, in republica libertas est, in oligarchia divitiae vel nobilitas, in aristocratia virtus. c. IV tractat alteram partem, quam vocant iustitiam correctivam, et haec disertis verbis divisa est: ὃ (sc. τὸ διορθωτικὸν δίκαιον) γίγνεται ἐν τοῖς συναλλάγμασι καὶ τοῖς ἑκουσίοις καὶ τοῖς ἀκουσίοις. Videmus igitur hanc alteram partem Iustitiae iterum in duas partes esse divisam. Primo autem tota iustitia correctiva tractatur contra priorem distributivam; haec est distributio rerum communium singulis hominibus, illa inter singulos homines commercii iustitia. Quae correctiva etiam ut medium ac aequitas describitur; sed est analogia arithmetica. Hic enim res similiter comparantur neque congruenter, ut in iustitia distributiva fit, c. g. facinora similiter absolvuntur et nobilis viri et egentis, ita ut iudex damnum, non ratione personarum adhibita, sed poena damno aequata, compensandum curet. Tropice vocibus damni ac lucri e commercio translatis utimur. Qua via auctor accessit ad genus, iustitiae correctivae subordinatum, iustitiam exaequatricem (τὸ ἐπανορθωτικόν) i. e. in sceleribus iustum est medium damni et lucri, et iudex ea exaequat. Hoc genus subordinatum iustitiae correctivae proximum est toti et in commercio involuntario situm est. Distinguit auctor, quamvis notione ac loco iuxta ponat, totam iustitiam correctivam ab eius genere subordinato iustitiae exaequatricis. Iam enim ἐπαν in ἐπανορθωτικόν et ἐπανιστοῖ plus valet, quam

δι in διορθωτικόν (cf. ἐπανιέναι redire). Primo quidem commercium voluntarium enumeravit, et nunc primo scelera i. e. commercium involuntarium tractat; sed hac ratione facit, quod proximum notioni totius iustitiae correctivae se adiungit. Etiam explicatione, se nomina damni ac lucri ex commercio voluntario sumpsisse et adhibuisse ad commercium involuntarium, testificatur distinctionem iustitiae exaequatricis a tota correctiva. c. V tandem facta commercii voluntarii aggreditur. Adiungit rem aporiae de fide Pythagoreorum de iure talionis, iudicans, hanc severam disciplinam constare non posse; sed disciplina, mutata in ius talionis secundum analogiam, utitur ad alterum genus subordinatum iustitiae correctivae, i. e. in factis commercii voluntarii. Est quidem hic analogia arithmetica; sed primum res commercii analogia geometrica adaequandae sunt, e. g. domus aequanda copiae calceorum est.

Accurate recensuimus argumentum c. II—V, quod diu omnes commentatores materiam conturbatam neque claris notionibus expressam duxerunt. Primus Trendelenburg de hac quaestione disseruit eumque fere omnes secuti sunt. Capitibus III—V perlustratis et analogia iuris talionis tractata pergit in „Histor. Beiträge" 1867 p. 404. „Wohin gehört nun diese von Aristoteles dem ἀντιπεπονθός zugestandene Bedeutung? Dies Gerechte des proportionalen Gegenempfangens, von dem Aristoteles sagt, dasz es in den Gemeinschaften des Austausches und Verkehrs das zusammenhaltende sei, denn durch proportionales Gegenleisten bestehe der Staat, welcher der beiden Arten ist es zu zu rechnen, der vertheilenden oder der ausgleichenden

Gerechtigkeit?" Et porro p. 405 „Wenn die ausgleichende Gerechtigkeit (qua voce indicat *τὸ διορθωτικὸν δίκαιον oder ἐπανορθωτικόν*, iustitia correctiva) erst da eintreten kann, wo ein Vertrag, als Mass der Uebervortheilung und der Einbusse, des Zuviel und Zuwenig vorliegt, so muss es doch eine Gerechtigkeit geben, welche, ursprünglicher als diese ausgleichende und wahrende, den Vertrag selbst bestimmt. Wenn mann fragt, ob an und für sich der Vertrag gerecht geschlossen sei, so giebt darauf weder die vertheilende Gerechtigkeit, welche politischer Natur ist, noch die ausgleichende, welche den geschlossenen Vertrag als die Norm des Rechtsverhältnisses, zur Basis hat, irgend welche Antwort. Hieraus ergiebt sich, dass Aristoteles, wenn er die Gerechtigkeit in engern Sinne lediglich in die vertheilende und ausgleichende, in die iustitia distributiva und correctiva eintheilte, eine grosse Lücke liess" ..... Hiernach bezeichnen zwei einfache Fragen eine innere Schwierigkeit in der aristotelischen Begriffsbestimmung, und Eintheilung der Gerechtigkeit. Erstens: Wie lässt sich, wenn Aristoteles die Eintheilung der Gerechtigkeit in die vertheilende und ausgleichende für erschöpfend hielt, die im achten Kapitel (c. V) bezeichnete Gerechtigkeit in Leistung und Gegenleistung unter diese unterbringen? Zweitens: Wenn die ausgleichende Gerechtigkeit bereits einen geschlossenen Vertrag oder einen anerkannten Richtstand als Basis voraussetzt, welches ist die Gerechtigkeit des Vortrages selbst, das innere Mass, ob er selbst gerecht sei". Quas duas quaestiones solvit Trendelenburg sequentibus locis comparatis, ex quibus tunc audacem

coniecturam sumpsit. E. N. 8. c. 9. p. 11158. b. 30 ἔστι γὰρ ἐν μὲν τοῖς δικαίοις ἴσον πρώτως τὸ κατ' ἀξίαν, τὸ δὲ κατὰ ποσὸν δευτέρως, et Polit. V. 1. p. 130, b. 29. ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον· τὸ μὲν γὰρ ἀριθμῷ τὸ δὲ κατ' ἀξίαν ἐστίν. λέγω δὲ ἀριθμῷ μὲν τὸ πλήθει ἢ μεγέθει ταὐτὸ καὶ ἴσον, κατ' ἀξίαν δὲ τὸ τῷ λόγῳ, οἷον ὑπερέχει κατ' ἀριθμὸν μὲν ἴσον τὰ τρία τοῖν δυοῖν καὶ ταῦτα τοῦ ἑνός, ἴσον γὰρ μέρος τὰ δύο τῶν τεττάρων καὶ τὸ ἓν τῶν δυοῖν· ἄμφω γὰρ ἡμίση". Deinde haec eius coniectura est: „Die umfassende Bedeutung des Ausdrucks κατ' ἀξίαν, so dass es namentlich das Proportionale im Tauschverkehr einschliesst, tritt deutlich in einer Stelle der Ethik hervor 9. 9. 1. p. 1163. b. 32. ἐν πάσαις ταῖς ἀνομοιοειδέσι Φιλίαις τὸ ἀνάλογον ἰσάζει καὶ σώζει τὴν Φιλίαν, καθάπερ εἴρηται οἷον καὶ ἐν τῇ πολιτικῇ τῷ σκυτοτόμῳ ἀντὶ τῶν ὑποδημάτων ἀμοιβὴ γίνεται κατ' ἀξίαν καὶ τῷ ὑφάντῃ, καὶ τοῖς λοιποῖς. Dass auch dem διορθωτικόν als strafende Gerechtigkeit eine Abschätzung des zugefügten Unrechts nach innerm Mass, also nach geometrischen Proportion vorangeht, lässt sich selbst aus den Worten des Aristoteles erkennen V. 7. p. 1132 u. 13 ὅταν γε μετρηθῇ τὸ πάθος, καλεῖται τὸ μὲν ζημία, τὸ δὲ κέρδος.

Wenn man diese Spuren verfolgt, so erkennt man eine zum Grunde liegende allgemeine Eintheilung der Gerechtigkeit.

Die Gerechtigkeit misst entweder nach dem Werth oder addirt und subtrahirt nur ein Quantum. In wiefern der Werth nun entweder Werth der Arbeit, oder Werth der Person ist, theilt sich diese Gerechtigkeit nach dem Mass des Werthes (κατ'ἀξίαν) in die austauschende Ge-

rechtigkeit und in die vertheilende Gerechtigkeit, jene im Verkehr des bürgerlichen Lebens, diese im Staat: Diese beiden Arten bilden die ursprüngliche Gerechtigkeit; denn die ausgleichende Gerechtigkeit des Richters (das διορθωτικόν) nur ein Quantum abnemend und zulegend, hat erst da statt, wo das verletzt is, was aus der ursprünglichen Gerechtigkeit wirklich hervorgegangen ist oder doch sollte hervorgegangen sein. Jene ist das Gerechte πρώτως, dieses δευτέρως. Was Arist. bei der Kritik des pythagoreischen ἀντιπεπονθός Eigenes hinzu gefügt, und als das Richtige in diesem falschen Begriff anerkannt hat, trifft vornehmlich die austauschende Gerechtigkeit, wie wir sie im Gegensatz gegen die verteilende Gerechtigkeit kurzweg nannten. Sie geht darim der Vertheilenden Gerechtigkeit *parallel*, *dass sie*, wie diese, *κατ' ἀξίαν verfährt*, und das geometrisch Proportionale sucht. Wird das Wort διανέμειν im weitern Sinne genommen, so lässt sich nach dieser Verwandtschaft das Austauschen, in wiefern es die Zuerkennung, also Austheilung, eines Gegenwerthes in sich schliesst, unter das διανέμειν begreifen .... Wie Aristoteles die distributive Gerechtigkeit des Staates nennt, setzt er beschränkend die Güter hinzu, die vertheilt werden. E. N. V. 7. p. 1131 b. 27 τὸ διανεμητικὸν δίκαιον τῶν κοινῶν, E. N. V. 5. p. 1130 b. 31 τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς τιμῆς ἢ χρημάτων..... Will man in diesem weiten Sinne das διανεμητικόν gebrauchen so ist die Gerechtigkeit in der Grundeintheilung, entweder eine διανεμητική, nach der geometrischen Proportion die Werthe messend, oder διορθωτική, die Differenz nach der arithmetischen ausgleichend.

Die διανεμητική theilt sich dann wieder in die austauschende des Verkehrs *und* die vertheilende des Staats, jene unter dem ἀντιπεπονθός behandelt, diese als ein διανεμητικόν im politischen Sinne bezeichnet. Nur auf solche Weise lösen sich die beiden oben aufgeworfenen Frage."

Mihi ignoscas, quod longius citavi. Nam alio modo doctrinam referre non potui, quae totum ordinem totius libri V tantopere evertit et plane contraria fundamenta iustitiae iacit. Neque innoxia haec doctrina; nam fere omnes viri docti magis minusve imitati sunt. Si hanc opinionem accipimus, quam confusa totius iustitiae tractatio esset. Nam tunc in libro V ageretur 1° de iustitia distributiva civitatis in homines singulos, 2° de iustitia correctiva, 3° de iustitia iterum distributiva, nunc vero inter cives ipsos. Quando autem cardinem quaestionis enucleamus, Trendelenburgium vocem κατ' ἀξίαν in iure talionis cum voce κατ' ἀναλογίαν iustitiae distributivae conturbasse cognoscimus. Rogemus, utrum actio distrubitionis ac commutationis secundum analogiam geometricam eveniret, necne. Responderetur in commercio non evenire, quod hic analogia arithmetica adhibeatur, ita quidem ut, rebus, quae commutantur primo analogia geometrica adaequatis, fiat commutatio secundum analogiam arithmeticam. In iustitia distributiva est analogia geometrica hominum, in iustitia iuris talionis eadem rerum mutandarum. Ita Aristotelis clara divisio ac distinctio: analogia geometrica, ubi distributio fit secundum dignitatem hominum eoque congruens est, et analogia arithmetica, ubi distributio vel commutatio secundum perfectam aequi-

tatem hominum fit eoque similis est, quamvis rebus mutandis antea aequatis. Quam ob rem Trendelenburg mutationem inter cives ipsos minime iuste ut secundum analogiam geometricam tractat; nam actio mutationis est secundum arithmeticam analogiam. Conturbat homines, qui commutant, cum rebus, quae mutantur.

Praeterea magna difficultas oreretur doctrina Trendelenburgii accepta; iustitia enim correctiva tantum in sceleribus adhiberetur, i. e. in commercio involuntario. Tamen Aristoteles disertis verbis bis commercium voluntarium et involuntarium una iustitiam correctivam vocavit: V. c. II. 13. ἓν δὲ τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν· τούτου δὲ μέρη δύο· τῶν γὰρ συναλλαγμάτων τὰ μὲν ἑκούσια τὰ δὲ ἀκούσια, et V. c. IV. 1. ὃ γίγνεται ἐν τοῖς συναλλάγμασι καὶ τοῖς ἑκουσίοις καὶ τοῖς ἀκουσίοις. Quo modo autem explicaret Trendelenburg, suam iustitiam distributivam duo genera habere, cum haec res loco laudato de iustitia correctiva clare significaretur? Nulla dubitatio de iustitia distributiva restat: ἓν μέν ἐστιν εἶδος τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς τιμῆς ἢ χρημάτων ἢ τῶν ἄλλων ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας, quorum ultima ὅσα μεριστά cet. significant: eas res, quas, qui reipublicae participes sunt, accipiunt, neque eae ad commercium inter cives ipsos attinere possunt.

Si argumentum Aristotelis, ut in c. III—V invenimus, accipimus, omnia manifesta ac clara erunt. Pars prima iustitiae particularis est distributio secundum dignitatem hominum, i. e. analogiam geometricam, quae pars vocatur iustitia distributiva; secunda pars distributio est secundum aequitatem hominum, i. e. analogiam arithmeticam. Nomen

autem posterioris, τὸ διορθωτικὸν δίκαιον, significat aliquid esse faciendum rectius, quae notio est duplex, primo, correctiva, quando scelera peracta solvenda sunt, in commercio involuntario, quae particulariter ἐπανορθωτικόν vocatur (neque ut Trendelenburg διορθωτικόν oder ἐπανορθωτικόν), secundo, exaequatrix, quae τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀξίαν vocatur, i. e. ius talionis, aeque patiendi, rebus commutandis analogia ante commutationem aequatis.

Turbamentum, quod a Trendelenburgio ortum est, imprimis interpretatione vocis τὸ διορθωτικὸν δίκαιον, correctiva iustitia, situm est, qua voce tantum iustitia exaequatrix in sceleribus indicaretur, quo facto aliud genus iustitiae correctivae, scil. commercii voluntarii, desideraretur, et aliunde petendum esset, iniuste a Trendelenburgio ex duplici sensu iustitiae distributivae quaesitum. Est igitur τὸ διορθωτικόν ampla notio: id, quod rectum facit et quod corrigit, quae iam male facta sunt, et id, quod exaequat ea, quae nondum commutata sunt. Iam Hugo Grotius „de iure belli ac pacis" I. 1—8 hanc notionem totam vocat iustitiam expletricem. Patrio sermone vertenda esset: „vereffenende rechtvaardigheid".

Quo falso nomine correctivae iustitiae semper adducti sunt commentatores, ut ad illam unam partem, correctivam eorum, quae iam male facta erant, animum adverterent. Difficultatem sic ortam, hanc unam iustitiam adhibendam esse ad ambas partes, et commercii voluntarii et involuntarii, Stewart e medio tollere conatus est, ita ut commercium voluntarium et involuntarium in unam notionem coalescere sinat: I p. 415 explicat τὸ διορθωτικόν hisce verbis:

„corrective Justice concerned with the rectification of results at variance with the principle of fair apportionment, which arise out of acts performed by members of the community in the various circumstances in which, as individuals, they have to do with one another". Quam amplam notionem vocis „rectification" sic exposuit: „It is easy to see how the results of ἀκούσια συναλλάγματα (assault, theft etc.) are such as need rectification, and that it is in the *criminal* court, that they are rectified. Ἑκούσια συναλλάγματα (buying and selling, letting etc.) on the other hand, being those in which both parties enter voluntarily into certain arrangements in view of results agreeable to both, might seem from their very nature to give results needing *no* rectification. It sometimes happens, however, without the fault of either contracting party, that a result other than that originally in view, and not agreeable to one of the parties, follows from an arrangement; and it may be right that a *civil* court should consider whether the result (unfortunate for one of the parties) should be *rectified*, and if so, to what extent, e. g. A takes the lease of a farm from B for a number of years at a rent suitable to good times: if times become bad beyond all reasonable calculation, it may be right that A should be able to have the question of reduction of his rent judicially decided. It may perhaps be thought that a better instance of τὸ ἐν τοῖς ἑκουσίοις συναλλάγμασι διορθωτικόν might have been selected than this, which suggests „interference with the freedom of contract". It is however „the rectification" in the civil court, which

corresponds most logically with the „rectification" made in the criminal court — it is the rectification of the original συναλλάγματα itself. But I suspect that the writer of the present passage had not such a case of rectification by the civil court in his mind, when he drew up his list of ἑκούσια συναλλάγματα here, but that he thought rather of the *enforcement* of the terms of such συναλλάγματα, and of *settlements of disputes* regarding their meaning in the civil court, e. g. a tenant and landlord differ about the effect of a clause in their signed agreement and *take their dispute for settlement* to a civil court; or a *debt is recovered* in a civil court. This last instance shows also how imperceptible the line may be dividing ἑκούσια συναλλάγματα, *which require enforcement*, from τὰ λαθραῖα among ἀκούσια συναλλάγματα, for the man who has to be tried for the payment of a debt is sometimes not easily distinguishable from the man who intended from the beginning to cheat his creditor.

The judicial *enforcement*, then of the terms of ἑκούσια συναλλάγματα and their judicial *interpretation*, must be distinguished from the judicial rectification of the terms themselves. But we must understand the phrase „rectification of the terms themselves" to denote not only the judicial *alteration* of unfair terms already arranged (e. g. refusal of law courts to enforce agreements to pay interest above a certain rate; judicial revision of rents which have become too high — after all a comparatively rare and questionable kind of „rectification"), but also the *prevention*, by other then judicial means, of unfair arrangements which would inevitably be made if certain checks and methods of procedure did not exist."

Etiam hanc quaestionis expositionem universam protuli, ut facilius intellegas subtilem argumentationem, qua Stewart perturbationem notionis iustitiae, a Trendelenburgio ortam, retinere ac defendere conatus est. Talibus flexionibus mirisque coniecturis, in quibus finis voluntariae ac involuntariae actionis paene aufertur, veram earum discrepantiam, quae opinioni iustitiae correctivae, quam is habet, obstat, e medio tollere conatus est. Sed nimia est subtilitas, qua leges, quae commercio voluntario fundamento sunt, intellegi vult „judicial enforcement of the terms" et „settlement of disputes", et „prevention" commercii involuntarii, eam ob causam tantum ut τὸ διορθωτικὸν δίκαιον ut iustitia una correctiva, „rectification", servetur. Hoc modo omnia diversissima facile sunt coniungenda neque quidquam habet certos fines.

In commentario suo Burnet, ultimus editor nostrae Ethices, τὸ διορθωτικὸν δίκαιον per iustitiam directivam vertit, eoque meam coniecturam affirmat hisce verbis ad loc. „for διορθοῦν is a word of far wider meaning then ἐπανορθοῦν and signifies „to adjust" whether before or after the transaction", et affert Lobeck ad Phrynichum p. 1250 „ὀρθοῦν et erigere et dirigere notat; signate dicitur illud ἀνορθοῦν, hoc διορθοῦν. Utrique affine est ἐπανορθοῦν, quod locum habet in iis, quae ad pristinum statum unde luxata erant, reducuntur; omnibus autem subest notio mutationis in melius; quam ob rem usum promiscuum habent." Quae quidem verba non probant, sed sinunt notionem ampliorem esse τοῦ διορθωτικοῦ, h. l. a me adhibitam. Infra, in annotatione, etiam hanc ampliorem notionem testificatur Burnet;

ad c. V. 6. ἐν μὲν ταῖς κοινωνίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς συνέχει τὸ τοιοῦτον δίκαιον, τὸ ἀντιπεπονθὸς καὶ κατ' ἀναλογίαν annotat: „i. e. τὰ ἑκούσια συναλλάγματα described above (1131 a. 2) and they there belong to τὸ διορθωτικὸν δίκαιον *in the widest sense* (1131 a. 1). Sed Burnet expresse non ponit, quod ego, Aristotelem conscium τὸ διορθωτικὸν δίκαιον in partes duas divisisse, 1° ἐπανορθωτικόν, iustitiam genuine correctivam, 2° τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀναλογίαν iustitiam commutativam, scil. commercii voluntarii; sed implicite annotationibus sententiam professus est meae consentaneam.

Argumento c. II—V tractato nunc de nonnullis quaestiunculis disserendum est:

Cap. IV § 5 Hampke post verba λέγεται γὰρ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις κἂν εἰ μή τισιν οἰκεῖον ὄνομα εἴη, τὸ κέρδος οἷον τῷ πατάξαντι καὶ ἡ ζημία τῷ παθόντι, aliquid omissum putat ante: ἀλλ' ὅταν γε μετρηθῇ τὸ πάθος, καλεῖται τὸ μὲν ζημία τὸ δὲ κέρδος. Sed Susemihlius iure annotat „perperam" et Rassovius p. 122 in Trendelenburgium et Barthélemy St. Hilaire invehitur, qui in voce μετρηθῇ „Schätzbare Klagen" expressas putant: hoc, inquit fieri non potest propter vocem γέ. Me quidem iudice sententia clara est neque cuiquam iustam offensionem praebet: illae res, ζημία ac κέρδος vocantur, perpenso saltem, quod quis passus est, et ratione rerum, in quibus facinus confectum est, iam habita; tunc demum damnum ac lucrum appellantur, quod quis passus est et quod quis affecit.

Cap. IV. 12. ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν τοῦτο. ἀνῃροῦντο γὰρ ἂν εἰ μὴ <ὃ> ἐποίει τὸ ποιοῦν καὶ ὅσον καὶ οἷον, καὶ τὸ πάσχον ἔπασχε τοῦτο καὶ τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον, quae

verba verbatim c. V. 9. p. 1133. a. 14. repetuntur et h. l. omnium consensu sunt secludenda. Sed in c. V. 9. servanda sunt et, coniectura Rassovii, ὅ ante ἐποίει addendum esse, accepta, omnia clara sunt. Neque opus est addere cum Jacksonio post ἐποίει: τὸ πάσχον ὅσον καὶ οἷον ποιεῖ. Cum Rassovio consentire non possum, qui dicit p. 18. „Man musz nur bedenken, dasz, wie es bei dem ἀντιπεπονθός nöthig ist, beide Theile geben und empfangen, dasz also das ποιοῦν auch ein πάσχον und das πάσχον auch ein ποιοῦν ist." Quod plane congruit cum sententia, quam in his invenit „Der Gedanke, den man nach dem Zusammenhange erwartet, ist dieser: die Künste würden nicht bestehen können, wenn sich nicht eine völlige Gleichheit der Leistungen und Gegenleistungen herstellen liesze." Sed me iudice sententia hoc loco non est duplex ratio, sed simplex. Est tantum expressa mutua aequitas patiendi in commutatione; e. g. A facit, ποιεῖ (e. g. domum donando), quantum B patitur, πάσχει, (e. g. domum accipiendo et pecuniam solvendo). Hoc specimen est Aristotelis brevis ac concinni generis dicendi.

Maioris momenti est, quod Rassovius de posteriore parte cap. V animadvertit. Tres locos, p. 1133. a. 19 — p. 1133. a. 23 (§ 10), et p. 1133. a. 25 — p. 1133. b. 14 (§ 11—§ 14), et p. 1133. b. 14 — 1133. b. 28 (§ 14—16), iuxta ponit, ut „Abschnitte von denen der eine keinen grösseren Anspruch auf Echtheit als der andere mag zeigen". Susemihlius duos posteriores reicit, priorem unum retinet.

Perlegamus accurate: § 9: commercium ac permutatio fit inter homines, qui varias artes exercent, ἀλλὰ τούτους δεῖ

ἰσχσθῆναι; (§ 10) itaque res, quas faciunt, eius modi esse oportet, ut quodammodo inter sese comparari possint, cui rei nummus aptus est; § 11 summatim priora repetit: omnia ergo una norma metienda sunt, quae revera necessitas (χρεία) dici potest. Itaque nummus nil nisi vicarius necessitatis verae factus est ex pacto hominum, unde nomen νόμισμα. Fit igitur tunc reciprocatio cum res exaequentur; sed ante permutationem exaequandae sunt. Quando talis reciprocatio fieri non potest, societas non exstat. Revera necessitatem normam esse, eo apparet, quod tantum commutant, quando eis est necessitas. Hinc pulchre Aristoteles observat, pretium permanens habere nummum iuxta pretium cum commutatione connexum et nummum mutabilem quidem esse, sed quam minime, βούλεται μένειν μᾶλλον.

Hi paragrafi post decimum nova attulerunt: vera natura nummi necessitas est; pretium permanens nummi. In fine capitis nulla nova adduntur, nisi annotatio, interdum fieri non posse, ut omnia ad eandem normam exaequentur, nosque secundum usum contentos esse oporteat. Eudemum ad praxin spectantem nobis in mentem haec revocant nec non accuratum exemplum in fine adhibitum. Praeterea omnia sunt repetita, quamvis variis verbis, e. g. σύμμετρα pro σύμβλητα, quae mutatio iniuste a Stewartio ad loc. novi aliquid profertur. Imprimis mirationem movet duplex explicatio etymologica nummi in § 11 et in § 15. Concludimus igitur, §§ 11, 12, 13, 14 usque ad διὸ δεῖ, nova ac ampliora, quam quae § 10 habet, proferre; sed § 14, ab διὸ δεῖ usque ad § 17, repetitionum plenum esse neque

quidquam novi, nisi Eudemi, habere, quam ob rem haec delenda esse censeo.

Cap. V finis probe Aristotelicus, quia hic de discrepantia iustitiae ac notionis virtutis supra (E. N. II) descriptae disseritur.

Cap. V est peroratio tractatus de iustitia, rebus principalibus tractatis, et tantum nonnullae cum iustitia coniunctae quaestiones exspectandae sunt.

Altera pars lib. V, c. VI—XI multo maiora turbamenta ostendit.

CAPUT VI initium hinc capit, an iniusta faciens vir et vir iniustus discrepent, et quae facta iniusta eo ipso mala sint. Tunc leguntur ista molesta verba *πῶς μὲν οὖν ἔχει τὸ ἀντιπεπονθὸς πρὸς τὸ δίκαιον, εἴρηται πρότερον*. Sequitur dissertatio de iure civili (*τὸ πολιτικὸν δίκαιον*) eiusque explicatio: est ius civile, inter quos leges vigent, et leges sunt, ubi iniuria fit. Quae iniuria fit nimium sibi ipsi tribuendo. Qua de re lex neque homo regnat. Finis capitis completur tractatu de iustitia per figuram: erga servos, filios, uxorem.

Quaedam quaestiunculae a viris doctis motae sunt. Hampke damnat p. 1134. a. 22 *οὐδὲ μοιχὸς ἐμοίχευσε δέ*, et p. 1134. a. 33 *ἐν οἷς τὸ ἀδικεῖν οὐ πᾶσιν ἀδικία*, et pro *αὐτῷ* in p. 1139. b. 2. *ἐπὶ δ' οὐθὲν αὐτῷ πλέον εἶναι δοκεῖ* legere vult *αὐτῷ πλέον νεῖμαι δοκεῖ*. Et Muretus ac Ramsauer reiciunt p. 1134 a. 33 *ἐν οἷς — ἀδικία*. Susemihlius verba p. 1134. a. 24 *πῶς μὲν οὖν ἔχει*, cet, post p. 1134. a. 33. *ἐν οἷς — ἀδικία* legit. Sunt illa verba *πῶς μὲν οὖν ἔχει — εἴρηται πρότερον* obstaculum omnibus viris criticis. Hildebrand,

et cum eo Spengelius ac Trendelenburg, difficultatem amovere conatus est ita, ut haec verba usque ad p. 1135. a. 25, finem c. VII, in fine c. V legat. Quae mutatio ordinem quidem restituit; nam πῶς μὲν οὖν ἔχει, cet. bene sequuntur finem c. V, et initium c. VI, tunc post finem c. VII positum, bene se applicat; sed restant difficultates internae, ut et Rassovius putat, p. 38 „Man wird die Verwirrungen .... der Redaction zur Last zu legen haben, wenn man auf die zahlreichen Widerholungen der vorhergehenden Capitel (c. VI) zurückblickt, die weder in einem Versehen der Abschreiber, noch in einer in den Blättern der Urhandschrift entstandenen Verwirrung ihren Grund haben können."

Et ego hanc sententiam approbo. Argumentum turbatum neque coniecturis, ut Hampkii, aliorum, sanandum.

Vocabula p. 1134. a. 25. ὅτι ζητούμενόν ἐστιν καὶ τὸ ἁπλῶς δίκαιον καὶ τὸ πολιτικὸν δίκαιον, cardinem quaestionis continent. Quid sibi vult τὸ ἁπλῶς δίκαιον, quid τὸ πολιτικόν? Num duae notiones pro una re? Hoc habet Grant: „τὸ ἁπλῶς δίκαιον is opposed to τὸ καθ' ὁμοιότητα. It is not meant here to separate τὸ ἁπλῶς δίκαιον from τὸ πολιτικὸν δίκαιον: rather it is implied, that they are both the same. The only justice, that can be called so without a figure of speech, is that between fellow-citizens". Idem Rassovius p. 123. „τὸ ἁπλῶς δίκαιον und τὸ πολιτικὸν δίκαιον sind verschiedene Ausdrücke für die selbe Sache". Fere similiter Stewart; sed ita, ut duas res esse ducat quodammodo coniunctas p. 479. „Hitherto the *formal condition* of Particular Justice have been discussed, i. e. the ἀναλογίαι

geometrical, arithmetical and reciprocal, which it involves, have been explained; the writer now proceeds to indicate the mode of its concrete appearance — to sketch its natural history in State".

Sententia, quae me quidem iudice clare in illis verbis prolatis est sita, indicat τὸ ἁπλῶς δίκαιον et τὸ πολιτικὸν δίκαιον duas esse varias res: quasitum est non tantum τὸ ἁπλῶς δίκαιον (quod iam tractavimus); sed etiam τὸ πολιτικόν (quod nunc investigare aggredimur). Contra Stewartium, qui contendit auctorem significare se de doctrina abstracta iam egisse et tunc hanc doctrinam ad rempublicam applicaturum esse, memorare velim, scriptorem in c. III—V doctrinam abstractam, i. e. duo genera analogiarum, iam applicuisse, notionibus iustitiae distributivae ac expletricis vel directivae adhibitis, neque ullam tractationem novam, ut Stewart exspectat, applicationem, scil. principiorum priorum in c. VI ac VII, sequi. Nam, quae sequuntur nil novi afferunt et illud novum ius civile plane cum iustitia distributiva ac directiva congruit. Itaque indicatio huius iuris civilis contra quod iustum absolute vocatur, quocumque sensu habes, hoc loco absurda est. Mirum profecto illud ius civile est; sed de eo plura ad c. VII, in quo de illo agit auctor, invenientur, ubi videbimus, quid auctor illud novum genus significare velit.

Etiam aliae quaestiones suspicionem contra c. VI movent: §§ 1, 2. contra morem Aristotelis sunt; nam de discrepantia viri iniusta facientis ac viri iniusti notio habitus omnem dfficultatem auferret. Praeterea μοιχός ac κλέπτης iam c. IV. 3 tractati sunt et semper mali iudicati; et in

E. N. II c. VI. 18. iam idem defendit, ut hic quaestio sit supervacua.

§ 4., explicatio notionis iuris civilis, pulchrum exemplum est rationis dicendi Eudemi: iustitia est inter eos, apud quos lex regnat; lex extat, quando fit iniuria. Merus ludus est verborum et via probandi contraria illi, qua Aristoteles uteretur. Etiam haec definitio iuris civilis conturbat notiones totius virtutis (vel iustitiae, quae agit de iis rebus, quae contra legem fiunt) et Iustitiae particularis, initio lib. V pulchre distinctas.

Particulae c. VI singulariter inter sese cohaerent: §§ 1. 2. nihil ad §§ 3—7, hi nil ad §§ 8. 9. attinent.

Quibus de causis c. VI §§ 1—7 ab Eudemo scripta iudico, sed §§ 8. 9. genuinam tractationem Aristotelis de iustitia figurali, unam ex quaestionibus, quae in fine lib. V cum iustitia coniunctae sunt. Verba p. 1134. a. 24. *πῶς μὲν οὖν ἔχει τὸ ἀντιπεπονθὸς πρὸς τὸ δίκαιον εἴρηται πρότερον* perperam a fine c. V soluta sunt et inter fragmenta Eudemi posita. Eudemum aliam tractationem iustitiae exposuisse ex Magnis Moralibus apparet, quae habent aliam commentationem de iustitia distributiva ac exaequatrice, quam Eth. Nic.

CAPUT VII amplius de hac aliena notione iuris civilis disserit. Totum illud novum genus in c. VI suspicionem movit; quanto magis autem in c VII, ubi, postquam iam notio in c. VI. 4. est explicata, iterum tractatum est dissertatione de iustitia per figuram interiecta. Nomen iuris civilis coniecturam affert, Eudemum duo genera Aristotelis una voce comprehendisse, iuris civilis, ut vidimus

Eudemum imaginibus fortitudinis nomina, πολιτικήν, στρατιωτικήν indidisse. Et in c. VI. 4. in explicatione notionis iuris civilis et in c. VII. 6: τῶν δὲ δικαίων καὶ νομιμῶν ἕκαστον ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὰ καθ' ἕκαστα ἔχει invenimus miram perturbationem totius iustitiae, vel virtutis, et particularis, qua priore Aristoteles omnia legitima, posteriore restricto sensu iusta complectebatur.

Quam igitur coniecturam supra indicavi, nunc persequor: Eudemus de iustitia alias tractavit, initio theoretice (τὸ ἁπλῶς δίκαιον c. VI. 4.), deinde applicuit hanc doctrinam reipublicae notione iuris civilis, quod continet Aristotelis iustitiam distributivam et directivam vel expletricem. Hinc mira verba in fine c. VII. καθ' ἕκαστον δὲ αὐτῶν (i. e. ἀδικήματα καὶ δικαιώματα) ποῖά τε εἴδη καὶ πόσα καὶ περὶ ποῖα τυγχάνει ὄντα, ὕστερον ἐπισκεπτέον non omni carent sensu, sed ad Eudemi sequentem spectant divisionem iuris civilis in duo genera, ut Aristoteles iustitiam *iam ante* c. VII in distributivam et directivam divisit.

Sed plura sunt, quae Eudemum auctorem significant. Eudemi est loqui in c. VII. 3. de motu ac immobili cum deo coniuncto, (cf. E. E. I. c. VII, II. c. VI), voce dei saepius adhibita, (cf. E. E. I. c. IV, I. c. VII. 2., I. c. VIII. 7.). Sed plus valet notio Φύσει, in c. VII. 2: δοκεῖ δ' ἐνίοις εἶναι πάντα τοιαῦτα (sc. νόμῳ) ὅτι τὸ μὲν Φύσει ἀκίνητον ..... παρ' ἡμῖν δ' ἔστι μέν τι καὶ Φύσει κινητόν (i. e. Φύσει τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἄλλως ἔχειν), quae h. l. dicuntur de virtute iustitiae ideoque non quadrant cum E. N. II. c. I. 2. ἐξ οὗ καὶ δῆλον ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν Φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται· οὐθὲν γὰρ τῶν Φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται. Auctor

igitur c. VII. duas habet notiones vocis *Φύσει*: id, quod immutabile est, et quod habet facultatem latentem posteaque se evolvit, quae duplex notio plane cum E. E. II. c. VIII. 15. congruit: *σχεδὸν δὲ τούτοις δυσὶ τὸ Φύσει διορίζομεν, τῷ ὅσα εὐθὺς γιγνομένοις ἀκολουθεῖ πᾶσι καὶ ὅσα ἐωμένης τῆς γενέσεως εὐθυπορεῖν γίγνεται ἡμῖν.*

Denique animadvertendum est, descriptionem in c. VII. 7, in M. M. p. 1195. a. 8. paene ad verbum repetitam, Eudemum auctorem significare; nam omnium consensu M. M. imprimis E. E. sequuntur, ut iam Spengelius p. 393. „Der Verfasser der M. M. schlieszt sich genau an die Eudemien und pflegt nicht neue Schwierigkeiten aufzuwerfen."

His omnibus de causis et c. VII damno.

CAPUT VIII tractat de ratione voluntarii ac actionis iustae. Hildebrand, Spengelius, Trendelenburg prima verba *ὄντων — εἰρημένων* secluserunt; Hampke *καί* ante *τὸ συμβεβηκός* p. 1135. b. 3. iure reicit; sed ceteroquin neminem hoc caput offendit, nisi Susemihlium, qui posteriorem recensionem iudicat.

Exposita hic est doctrina de voluntario eoque optime hanc cum Eth. Nic. et Eth. Eud. comparare possumus: E. N. III de notione *δι' ἄγνοιαν* turbate quidem agit; nam III c. 1. 3. haec habet: *δοκεῖ δ' ἀκούσια εἶναι τὰ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γιγνόμενα*, et contra c. I. 14: *ἕτερον δ'ἔοικε καὶ τὸ δι' ἄγνοιαν πράττειν τοῦ ἀγνοοῦντα· ὁ γὰρ μεθύων ἢ ὀργίζομενος οὐ δοκεῖ δι' ἄγνοιαν πράττειν ἀλλὰ διά τι τῶν εἰρημένων, οὐκ εἰδὼς δὲ ἀλλ' ἀγνοῶν, ἀγνοεῖ μὲν οὖν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν καὶ ὧν ἀφεκτέον καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται* (i. e. *μοχθηρός*, i. e. *ἑκών*, *ἀδικεῖ δι' ἄγνοιαν*);

sed ad priorem sensum ἀκουσίου redit in c. I. 20 ὄντος δ' ἀκουσίου τοῦ βίᾳ καὶ δι' ἄγνοιαν..... Attamen facile est intellectu, Aristotelem δι' ἄγνοιαν nunc ampliore, nunc restrictiore sensu usum esse. Notio voluntariae actionis (τὸ ἑκούσιον) clarissima est: οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. Novit Aristoteles exiguam discrepantiam inter consilium (προαίρεσις) et actionem voluntariam, ponendo, quod a pueris aut subito agitur, voluntarium quidem neque consilium dici posse. In cap. II huius libelli vidimus Eudemum etiam in viris adultis discrepantiam harum notionum posuisse et apud eum voluntati (βούλησις) notionem voluntarii (τὸ ἑκούσιον) appropinquare, ita ut haec notio voluntarii contineat quandam vim intuitivam agendi, omni consilio ac deliberatione exclusa

Quam Eudemi opinionem testificatur nostrum caput:

§ 4. ponit aliquem vi coactum rem sibi commissam reddere, quae ab Aristotele actio involuntaria habita esset; hic vero auctor quodammodo voluntariam putat.

Sed § 5, divisio actionum voluntariarum, τῶν δὲ ἑκουσίων τὰ μὲν προελόμενοι πράττομεν τὰ δ' οὐ προελόμενοι, demonstrat hunc auctorem etiam in viris adultis neque subito agentibus novisse notionem voluntarii sine consilio vel deliberatione, i. e. actionis cuiusdam intuitivae, quae Eudemi est.

Etiam quadruplex distinctio in §§ 7, 8 inter ἀτύχημα, ἁμάρτημα, ἀδίκημα, μοχθηρίαν Eudemia est. Nam ἁμάρτημα ὅταν ἡ ἀρχὴ τῆς ἀγνοίας ἐν αὐτῷ ᾖ, Aristoteles δι' ἄγνοιαν, i. e ἑκών vocaret, neque ἀδικήματι praeferret. Etiam distinctio inter ὅταν εἰδὼς μὲν, μὴ προβουλεύσας δὲ (ἀδίκημα) et ὅταν ἐκ προαιρέσεως (μοχθηρία), ab Aristotele non est

exspectanda, qui apud adultos viros omnem actionem voluntariam, quando quis novit omnia, in quibus factum fit, cum consilio consimilem esse putat. Eudemi est haec notio: εἰδώς, i. e. ἑκών extra consilium posita. Praeterea non virum magni ingenii indicat exigua eius diligentia, quippe qui in enumeratione incipiat τριῶν δὴ οὐσῶν βλαβῶν τῶν ἐν ταῖς κοινωνίαις, deinde quattuor genera enumeret. Et § 3 μὴ ἀγνοῶν in memoriam revocat E. E. II. c. IX. 3. ὅσα μὲν οὖν ἐφ' ἑαυτῷ ὂν μὴ πράττειν, πράττει μὴ ἀγνοῶν καὶ δι' αὐτὸν, ἑκούσια ταῦτ' ἀνάγκη εἶναι, cum Aristoteles habeat εἰδώς, itemque § 9. διὸ καλῶς τὰ ἐκ θυμοῦ οὐκ ἐκ προνοίας κρίνεται pro κατὰ προαίρεσιν, E. E. II. c. X. 21. ὅτι καλῶς διορίζονται οἳ τῶν παθημάτων τὰ μὲν ἑκούσια τὰ δ' ἀκούσια τὰ δ' ἐκ προνοίας νομοθετοῦσιν. Etiam cum Aristotele non quadrat § 12. τῶν δ' ἀκουσίων τὰ μέν ἐστι συγγνωμονικὰ τὰ δ' οὐ συγγνωμονικὰ, ὅσα μὲν γὰρ μὴ μόνον ἀγνοοῦντες ἀλλὰ καὶ δι' ἄγνοιαν ἁμαρτάνουσι συγγνωμονικά, ὅσα δὲ μὴ δι' ἄγνοιαν ἀλλ' ἀγνοοῦντες μὲν διὰ πάθος δὲ μήτε Φυσικὸν μήτε ἀνθρωπικόν, οὐ συγγνωμονικά. Modo vidimus Aristotelem δι' ἄγνοιαν voci ἀγνοοῦντα contrariam posuisse et voluntarium factum ac improbum putasse, et hoc loco plane hanc significationem impugnat auctor.

Haec omnia maiora ac minora Eudemum c. VIII auctorem significant.

CAPITA IX. XI una tractabimus, quia arte coniuncta sunt; postea c. X. Ut Stewart p. 513 animadvertit, c. IX cum c. VIII connexum est; hoc enim iudicium de voluntario apud iudicem continet, illud, quoad ipse voluntarius esse potes in contra te ipsum agendo, quocum

coniuncta est quaestio, an voluntarie pati possis. Quae duae quaestiunculae mutua vice tractantur. Ratio demonstrandi est supponere aliquid, quod postea tollitur: *si* iniusta facere idem est ac nocere voluntarie, et voluntarie agere significat conscientiam rerum, in quibus fit factum, et *si* vir incontinens sibi ipse nocet voluntarie, tunc voluntarie ut iniusta patiaris, fiere potest, nec non ut contra te ipsum iniusta facias. Sed verum non est, iniusta facere idem esse atque nocere voluntarie, ergo neque ut voluntarie iniusta patiaris, fieri potest (neque ut contra te ipsum iniusta facias; sed hoc nondum concludit, tantum implicite indicat).

Sequuntur duae quaestiunculae, utrum is, qui nimium tribuit, an is, qui accepit, magis iniuste faciat, et iterum, an, ut contra se ipse iniusta facias, fieri possit. Et hae eodem modo solvuntur ac illae supra: *Si* is, qui nimium tribuit, hoc facit alii, contra se ipse iniusta facit. Sed subinde auctor movet dubium, num plus alii quam sibi tribuendo simul alia, e. g. honorem, sibi adipiscatur, et ita dubitat, num revera is, qui nimium tribuit, magis iniusta facit eo, qui accipit, itaque iterum implicite de facultate contra se ipsum iniusta faciendi dubitat. Quod et facit secunda argumentatione „οὐδὲν γὰρ παρὰ τὴν αὑτοῦ πάσχει βούλησιν."

Finis c. IX aliquid novi affert: οἱ δ' ἄνθρωποι ἐφ' αὑτοῖς οἴονται εἶναι τὸ ἀδικεῖν, διὸ καὶ τὸ δίκαιον εἶναι ῥᾴδιον, unde de discrepantia facti ac habitus, et scientae rerum iustarum ac iuste agendi, ut distinguitur inter eum, qui remedia novit et eum, qui est medicus. Deinde concludit bona

absoluta et iusta inter sese cohaerere, prioribus deos numquam abundare posse, eorumque quosdam viros, scil. insanabiles, ne frustulum quidem possidere posse.

c. XI quaestionem de contra se ipsum iniusta faciendo aggreditur. Iure sic incipit: *πότερον ἐνδέχεται αὐτὸν ἀδικεῖν ἢ οὔ, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων*; nam, quamquam non est demonstratum, bis tamen, ut supra vidimus, implicite negatum est. Tandem hic habemus comprobationem. Post introductionem, omnem virtutem lege esse constitutam, et esse iniustum, quod quis voluntarie facit contra legem, concludit contra se ipsum iniusta facere esse scelus in rempublicam, quod etiam poena indicta testificetur. Neque igitur in se ipsum. Fieri enim non potest — nunc postremo sincera comprobatio sequitur — ut eidem rei idem et addatur et adimatur, *ἀλλ' ἀεὶ ἐν πλείοσιν ἀναγκὴ εἶναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον*. Transpositio § 9 post § 6, quam proposuit Susemihlius, eo commendatur, quod § 9 bene se huic loco applicat. Animadversio subtilis iniusta facere peius esse, quam pati, finem facit et capiti et libro.

Haec dictorum quam brevissima repetitio clara ac perspicua faciat et, quae egerunt viri docti de his maxime addubitatis capitibus, et, quae post horum enumerationem ipse proponere velim.

Rieckher de §§ 1, 2 *καὶ ἆρα πᾶν οὕτως ἢ ἐκείνως ὥσπερ καὶ τὸ ἀδικεῖν πᾶν ἑκούσιον ἢ τὸ μὲν ἑκούσιον, τὸ δ' ἀκούσιον*; „Bezieht man hier *πᾶν* wie *ἅπαν* im vorhergehenden Satz auf *ἀδικεῖσθαι*, so bieten die Schlussworte eine lästige Wiederholung des vorigen Satzes, die Anfangsworte aber einen noch weniger befriedigenden Sinn, weil die Frage,

ob *alles* Unrechtleiden freiwillig sei (ἐκείνως supra) offenbar nicht gestellt zu werden braucht; die mittleren endlich ὥσπερ καὶ τὸ ἀδικεῖν πᾶν ἑκούσιον sind, als unmittelbar vorher schon dagewesen, verdächtig. Wollte man aber unter πᾶν jede überhaupt unter den Begriff ἀδίκημα, aktiv oder passiv fallende Handlung verstehen, so würde der Sinn unstreitig gewinnen: „und fällt jedes ἀδίκημα entweder unter den einen oder unter den anderen Begriff, oder gibt es auch solche, welche in gewisser Hinsicht freiwillig, in gewisser Hinsicht unfreiwillig sind?" Dies würde namentlich gut zu der Lesart ἢ οὐ θέλουσαν οὐχ ἑκών im citat aus Euripides passen. Allein dann würde man ἢ οὕτως erwarten, und eine Rückverweisung auf III c. I, wo dieser Punkt schon erörtert war, und was die Hauptsache ist, die folgende Untersuchung geht gar nicht auf solche Handlungen, die in gewissem Sinn freiwillig, in gewissem das Gegentheil sind, ein."

Quae sibi ipse in fine opponit Rieckher, satis confirmant coniecturam initii reiciendam esse. Praeterea nil, ne verbum quidem, illam duplicem notionem vocis ἀδίκημα h. l. excusare potest. Sed revera non exstat ulla difficultas. Vox ἐκείνως bene significat, iniusta pati semper voluntarie fieri. Si ad sententiam spectas, vox ἐκείνως absurda quidem est, sed hoc loco tantum symmetriae causa iuxta οὕτως posita habenda est; licet repetitio, ὥσπερ καὶ τὸ ἀδικεῖν πᾶν ἑκούσιον, sit secludenda, quod etiam Rassovius censet (p. 40).

Et in § 2 Rieckher difficultatem affert, ita vertendo: „Eine ähnliche Frage betrifft des Rechtleiden, denn alles

Rechtthun ist freiwillig, so dass es consequent ist [an zu nehmen] dass Unrechtleiden und Rechtleiden in Beziehung auf jedes von beiden einander entgegen gesetzt, dass sie also entweder freiwillig oder unfreiwillig seien. Ungereimt aber muss es beim Rechtleiden erscheinen, wenn es immer freiwillig sein wollte, denn Mancher leidet unfreiwillig sein Recht". De quibus animadvertit: „Hier stossen wir uns an εὔλογον und an der Verbindung des zweiten Satzes mit dem ersten. Von einer Consequenz, kann man füglich entgegnen, könne erst dann die Rede sein, wenn die Frage des ἑκόντα ἀδικεῖσθαι schon bejaht ist, was nicht der Fall ist, und auch im Folgenden nicht geschieht. Die Verbindung aber klingt adversativ, wie auch Lambin sie gefasst hat, während sie eine Bestätigung ergibt, wie dies Zell richtig eingesehen, wenn er übersetzt: „sane cum satis constet". Weit eher hätte man die umgekehrte Stellung erwartet: da das Rechtleiden ebenso wohl unfreiwillig als freiwillig sein kann, so scheint es consequent vom Unrechtleiden dasselbe anzunehmen."

Sed minus recte auctorem Rieckher accusat. Nam non comparantur iniusta pati et iusta pati. Comparatio haec inter quattuor res est: iniusta facere ac iniusta pati, et iusta facere ac iusta pati. Hoc modo incipit auctor: iniusta facere semper voluntarium est, quomodo autem iniusta pati sese habet? Videamus de iustis factis: iusta facere semper est voluntarium, iusta pati non semper, ὥστε εὔλογον ἀντικεῖσθαι ὁμοίως καθ' ἑκάτερον τό τ' ἀδικεῖσθαι καὶ τὸ δικαιοῦσθαι ἢ ἑκούσιον ἢ ἀκούσιον εἶναι, i. e. ut per se intellegatur aeque [ac supra iusta pati et facere] oppositum

esse et iniusta pati et iusta pati (scil. iniusta pati aeque oppositum esse iniusta faciendo ac iusta pati, iusta faciendo). Exspectandum erat, auctorem conclusionem finivisse et perrexisse: iusta facere semper est voluntarium, iusta pati semper voluntarium esse non potest, iniusta facere semper voluntarium est, ergo iniusta pati non semper est voluntarium est. Sed ante hanc conclusionem aliam viam incedit in § 3 tractando de discrepantia ἄδικα πάσχειν et ἀδικεῖσθαι.

Vitium igitur textus hic invenire non possum cum Rieckhero. Sed amplius hanc quaestiunculam enucleavi, ut rationem dicendi huius auctoris demonstrarem, quae est merus verborum ludus. Etiam interpretatio Welldonii [1]) duplicem comparationem, quae vox ὁμοίως me iudice indicaret, approbat, et ita, ut ego, explet cogitationem verbis inclinatis: § 2. „The same question may be raised in regard to just treatment; for as all just action *and all unjust action* is voluntary, it is reasonable to suppose that the voluntariness or involuntariness of being justly and unjustly treated should similarly correspond to the voluntariness or involuntariness of acting justly and unjustly".

Pergit Rieckher in §§ 5, 6 in quibus, ut opinatur, notio est perturbata voluntatis, p. 115 „Man sieht also, dass in dem Wort βούλησις ein Doppelsinn verborgen ist, und dass, sobald man diesen verwerflichen Doppelsinn aufheben will, die Argumentation in ihr Gegentheil un-

---

1) The Nicomachean Ethics of Aristotle translated by J. E. C. Welldon. Londen Mac. Millan & Co. 1892.

schlägt. Ist die βούλησις das *bessere Wissen und Wollen* des ἀκρατής, so handelt der, der ihm Schaden zu fügt, dieser βούλησις zuwider, begeht also eine ἀδικία, und da der doch freiwillig sich ihr aussetzt, so muss die Frage des ἑκόντα ἀδικεῖσθαι für diesen Fall bejaht werden. Ist aber die βούλησις das *sinnliche Wollen* der ἀκρατής, so ist die Bestimmung παρὰ τὴν βούλησιν falsch, und es muss vielmehr heissen κατὰ τὴν βούλησιν. Der zweite Fall ist der des sich selbst verkürzens, und dagegen wird erwidert, dass dies ganz vom Willen des Betreffenden abhänge, also hier von einem ἀδικεῖσθαι, mithin auch von einem ἑκόντα ἀδικεῖσθαι, gar nicht die Rede sein könne."

Etiam Rassovius p. 41 voce παρὰ τὴν βούλησιν, quamvis simplici notione adhibita, contentus non est: „Was bedeutet aber παρὰ τὴν βούλησιν? Die Nicomachische Ethik spricht über die βούλησις an zwei Stellen: III. 4. p. 1111. 6. 19. und III. 6. Aus beiden ersieht man, dass unter βούλησις das Wollen oder Wünschen zu verstehen ist, das auf die Erreichung eines an sich guten oder doch gutscheinenden Zieles gerichtet ist, und hiermit stimmt die Definition, Rhetorik I. 10. p. 1369. a. 2. ἔστι δ' ἡ μὲν βούλησις ἀγαθοῦ ὄρεξις. Fasst man demgemäss παρὰ τὴν βούλησιν als „wider Wollen oder Wünschen", so kann man sich der Bemerkung nicht verschlieszen, dass der versuchte Beweis nicht das leistet, was er leisten soll. Denn was liegt undenkbares darin, dass Jemand, um mit Homer zu reden, ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ eine Schaden über sich ergehen lässt, und soll man dem ἀκρατής, der wider sein auf das Bessere gerichtetes Wollen der Stimme des Verführers

folgt, und in sittlicher Beziehung Schaden erleidet, die Freiwilligkeit des Handelns absprechen?"

In fine ad §§ 10—14 Rieckher animadvertit: „zwei kurze Erörterungen, die mit dem im Anfang des Cap. Angekündigten Nichts zu thun haben." Contrarium verum est. Ipso hoc loco, notione principii (ἀρχή) tractata ut vera origine iniusta faciendi, id nunc comprobatur, quod antea specie ac ludo tantum verborum demonstratum erat. Etiam quaestio in §§ 12—14 de inscientia aut conscientia arte cum illo principio tractato cohaeret.

Jackson hanc partem, §§ 14. 15., post V. c. I. 3. περὶ ἀδικίας ἀφ' ἧς ἀδικοῦσι καὶ βούλονται τὰ ἄδικα, legere vult. Sed § 16 ab iis separari non potest et, §§ 14. 15. 16. post V. c. I. 3. translatis, longior fit digressio in V. c. I., cum hoc loco omnia recte procedunt: §§ 10. 11. hominem ut principium actionis tractant; §§ 12. 13. inscientiam aut conscientiam in agendo; § 14. disserit habitum differre a mera scientia eorum, quae sunt iniusta.

Initio c. XI. quaestiuncula est, quae fuit plerisque commentatoribus obstaculum: τὰ μὲν γάρ ἐστι τῶν δικαίων τὰ κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ὑπὸ τοῦ νόμου τεταγμένα, οἷον οὐ κελεύει ἀποκτιννύναι ἑαυτὸν ὁ νόμος, ἃ δὲ μὴ κελεύει, ἀπαγορεύει, quas ultimas voces irridet Grant: „We might well ask: Did the Athenian law command its citizens to breathe, to eat, to sleep etc.?" Jackson difficultatem tollere conatus est voce μὴ κελεύειν, sensu vetandi (οὐκ ἐᾶν) explicanda. Sed ad talem linguae violationem confugere opus non est, si ita explicamus: est quaedam iustitia, omnia continens, quae sunt secundum totam virtutem, quae lege

administratur, et, quae *huius iustitiae* lex non imperat, ea vetat. Mirum quidem dictum manet; sed comparando cum E. N. V. c. I. 13. οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων, facile est intellectu, quo modo discipulus magistrum minus prudenter secutus sit. Id enim in omnibus rebus, ut vidimus, Eudemi est, in retractando Aristotelis et argumento et materia minore prudentia uti.

Qua de causa et haec capita Susemihlius reiecit, neque ego alia sum sententia. Zell c. XI post c. IX. 13 legere vult, ut cohaerentia coniungat. Sed haec coniectura mihi non satisfecit, quia totum argumentum eiusque tractatio Aristotele minime digna sunt contraque vestigia Eudemi multa inveniri possunt.

Quod ad probandum investigemus c. IX ac XI. Quomodo supra contra Rieckherum explicavi, hic quoque auctor in § 1 καὶ ἆρα πᾶν οὕτως ἢ ἐκείνως exemplum suggerit eius rei, quam Stewart Eudemi „Formalism" vocat. Praeterea rationem, qua iusta ac iniusta facere et pati inter se comparat, ut quaestionem, an iniusta pati fiat voluntarie, solvat, iure iam supra merum verborum ludum vocavimus, ab Eudemo non alienum (cf. p. 45 infr.) Etiam fortiter pro coniectura mea militat ratio demonstrandi in his capitibus saepius adhibita. Bis ad conclusionem pervenire conatur re supponenda, quam postea reicit, et ita ambas quaestiones, et de voluntarie patiendo et de eo, qui nimium tribuit, frustra solvere conatus est alia quaestione adhibita: an ut sibi aliquis iniuriam inferat, fieri possit. Quo modo iam et hanc, ad utramque quaestionem solvendam intermediam, simul solvisse videtur, ideoque multi ipsam

tractationem, in c. XI, supervacuam esse putant. Sed implicite tantum bis solvit, cuius rei sibi conscius est auctor; nam ante ipsam comprobationem in c. XI confitetur, quaestionem iam esse demonstratam: *πότερον δ' ἐνδέχεται ἑαυτὸν ἀδικεῖν ἢ οὔ, φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων.* Itaque c. IX ac XI una legantur, et unam neque dividendam, quamvis miram, demonstrationem continent. Mira enim est demonstratio, quae bis aliquid implicite ponit et negat, voluntarie sibi ipsi iniuriam inferri posse, idemque postremo comprobat. Quae est ratio scribendi eius, qui iam conclusionem novit eaque utitur, et ab Eudemo expectanda, quem vidimus saepius plane Aristoteli contrariam viam sequi (cf. p. 45 med.). Aristoteles, ut conicio, primo posuit principium: *ἀεὶ ἐν πλείοσιν ἀναγκὴ εἶναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον*, quo demonstraret, ut tibi ipse iniuriam inferas, fieri non posse. Hinc progressus est ad secundam quaestionem (apud nostrum auctorem primo tractatam), utrum, ut voluntarie iniusta patiaris, fieri possit, annon. Eo etiam, quod principium totius argumentationis in fine tractat, demonstratio inanis fit et ludus verborum. Cuius rei exemplum do c. IX. 5.: ut voluntarie iniusta patiaris, fieri non potest; nam iniusta facere voluntarie idem valet ac nocere alicui *contra illius voluntatem*, neque quisquam contra suam voluntatem iniusta patitur! Praeterea ipsa haec notio voluntarii Eudemum indicat, quae cum Eth. Nic. non quadrat, sed cum Eth. Eud., in quibus, ut vidimus in cap. II. huius libelli, notio voluntatis (*βούλησις*) voluntario (*τὸ ἑκούσιον*) magis affinis est. Etiam sequitur res, quae plane ab Aristotele abhorret in § 14: *οἱ ἄνθρωποι ἐφ' αὑτοῖς*

οἴονται εἶναι τὸ ἀδικεῖν, quae verba genuinum Aristotelicum horrore complent, qui magnanimae vocis „ἐφ' ἡμῖν δὴ καὶ ἡ ἀρετὴ, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία", oblivisci non potuit.

Sed spero, satis haec esse ad approbandum, c. IX ac c. XI Eudemi nec Aristotelis putanda esse, neque Fischerum ac Fritzschium iure c. XI ab c IX separasse.

CAPUT X pulchra expositio de aequitate, subtili notione Aristotele dignissima, est, quae recensione inter Eudemi fragmenta aberravit.

Post capita separatim tractata Jacksonii coniecturam de ordine lib. V accuratius impugnare supersedeo. Cuius mentionem facere satis est. Legit lib. V ita: c. 1. 1—3; c. 9. 14—16; c. 1. 4—9; c. 9. 17; c. 1. 10.—c. 5. 18; c. 11. 7. 8; c. 5. 19; c. 6. 4—c. 8. 8; c. 6. 1, 2; c. 8. 9—c. 9. 13; c. 11. 1—6; c. 11. 9; c. 6. 3; c. 10. 1—8; c. 11. 10.

Coniecturae Grantii ac Jacksonii, qui totos tres libros in Eth. Eud. transferunt, et Fischeri ac Fritzschii, qui lib. V c. XI, VI, VII Ethicis Eudemiis tribuunt, in Conclusione tractabuntur.

CAPUT IV.

De libro VI. Eth. Nic.

In capite priore vidimus, lib. V summatim in duas partes esse dividendum, et c. I—V ac c. X, priorem, Aristoteli, c. VI—XI, posteriorem, Eudemo esse tribuendam. Lib. VI difficilius est tractatu, quia magis turbate comparatus esse videtur iam obiter legenti, fragmentis inter fragmenta interiectis.

CAPUT I initio in memoriam revocat, habitum virtutis in media via sequenda consistere, et rectae rationi (ὀρθὸς λόγος) hoc medium esse constituendum. Rectae igitur rationi finis (σκοπός) fixe ante oculos statuendus est, cuius conspectu terminos (ὅροι) medii reperiamus. Deinde animum dividere post I c. XIII pergit nova divisione; nunc enim partem animi rationalem in duas dividit, alteram, in qua est vis sciendi (τὸ ἐπιστημονικόν), alteram, quae ad ratiocinandum valet; quarum duarum partium virtutes se quaesiturum pollicetur auctor.

Rieckher primus Schleiermacheri animadversionem, esse in hoc libro vacillationem, utrum virtutes intellectuales ut norma moralium tractarentur, an adiumentum tantum, persecutus est: „Jenes", inquit, „bald .... bald" der Schleiermacherschen Ausstellung reducirt sich bei näherer

Betrachtung darauf, dass cap. 1 (i. e. c. I. 1—4) den zweiten Standpunkt (i. e. ut sint norma.) vertritt, cap. 2. aber mit dem ganzen Rest des Buches, den ersten (ut sint merum adiumentum). Und so wenig ist zwischen beiden Capiteln eine Vermittlung auch nur versucht, dass c. 2. (c. I. 4—7) das erste Capitel (c. I. 1—4) gar nicht voraussetzt, und kein Mensch etwas vermissen würde, wenn das sechste Buch mit dem zweiten Capitel begänne."

Et Rassovium initium lib. VI offendit: p. 19 „Das sechste Buch hat, was bisher übersehen ist, zwei Proömien, ein längeres bis p. 1138. a. 34 und ein kürzeres, p. 1138. a 35—1139. a. 3.

Sane equidem censeo, inter haec duo eligendum esse, neque electio mihi difficilis est. Quod Rassovius vocat secundum prooemium plane cum reliquis Eth. Nic. consentit: E. N. I c. XIII. 20 duo genera iuxta ponit: *διορίζεται δὲ καὶ ἡ ἀρετὴ κατὰ τὴν διαφορὰν ταύτην. λέγομεν γὰρ αὐτῶν τὰς μὲν διανοητικάς, τὰς δὲ ἠθικάς. σοφίαν μὲν καὶ σύνεσιν καὶ φρόνησιν διανοητικάς, ἐλευθεριότητα δὲ καὶ σωφροσύνην ἠθικάς*; et, quod porro nequaquam illa duo genera coniungit, ea ut inter sese iuxta posita in sermone vulgari reperta describit: *λέγοντες γὰρ περὶ τοῦ ἤθους οὐ λέγομεν ὅτι σοφὸς ἢ συνετὸς ἀλλ' ὅτι πρᾶος ἢ σώφρων, ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὸν σοφὸν κατὰ τὴν ἕξιν, τῶν ἕξεων δὲ τὰς ἐπαινετὰς ἀρετὰς λέγομεν.*" Mentionem fieri illius rationis, virtutes intellectuales esse normam moralium, ab Aristotele h. l. erat exspectandum, si postea, in lib. VI, de illa coniunctione tractare in animo haberet.

Contra prius prooemium Eudemi propria ostendit. Iam

sermo testificatur: ἀληθὲς μέν, οὐθὲν δὲ σαφές, de quibus vocibus Burnet: „It is true that Eudemus is fond of the phrase, cf. 1206. b. 32; 1217. a. 19; 1220. a. 17 (ad quae addo 1249. b. 6.), and that it occurs nowhere else in E. N. But it is a thoroughly Aristotelian way of speaking". Exemplum huius rei profert de Anima 413. a. 11. ἐκ τῶν ἀσαφῶν μέν, φανερωτέρων δὲ γίγνεται τὸ σαφὲς καὶ κατὰ τὸν λόγον γνωριμώτερον. Minus recte; nam in his non eadem sententia inest ac in nostris vocibus, quibus haec subest notio: theoretice quidem *vere* dictum est, virtutem in medio sitam esse; sed si ad praxin spectamus, non est *perspicuum*, quo modo hoc medium nobis inveniendum sit. Sententia haec Eudemo digna est, qui notione rectae rationis nos dirigentis non contentus, ad usum vitae certum finem (σκοπός) petit, ad quem oculos figamus. Nusquam Aristoteles talis finis Ethici mentionem fecit. Incertum reliquit, quo modo victoria viri continentis (I c. XIII) reportetur, et in acute definiendo, quid denique nos dirigat, ad rectam rationem (ὀρθὸς λόγος) substitit, neque altius quaesivit, quam ut virum probum (ὁ σπουδαῖος) nobis semper ante oculos et esse oportere et revera esse, poneret. Ita Aristoteles in scientia Ethica hominem in hominum commercio tractat, ut ζῷον πολιτικόν; Eudemus de norma viri probi nos dirigente silet eoque normam recta ratione altiorem quaerit, et finem, quo ipsa recta ratio dirigatur, petit. Huius finis notio in Eth. Eud. bis tractatur. Primo E. E. II. c. XI. 3. 4. πότερον δ' ἡ ἀρετὴ ποιεῖ τὸν σκοπὸν ἢ τὰ πρὸς τὸν σκοπόν; τιθέμεθα δὴ ὅτι τὸν σκοπὸν διότι τούτου οὐκ ἔστι συλλογισμὸς οὐδὲ λόγος· ἀλλὰ δὴ ὥσπερ ἀρχὴ τοῦτο

ὑποκείσθω. Quo loco non eadem quidem sententia ac in nostro capite legitur: „πρὸς ὃν ἀποβλέπων ὁ τὸν λόγον ἔχων ἐπιτείνει καὶ ἀνίησιν", sed tamen affinis. Locus enim laudatus haec habet: virtus finem reddit probum et eo ipso, i. e. illum probum finem in conspectu habendo etiam viae ad finem (τὰ πρὸς τὸν σκοπόν) probae fiunt, quod idem valet ac „πρὸς ὃν ἀποβλέπων ὁ τὸν λόγον ἔχων ἐπιτείνει καὶ ἀνίησιν" in nostro capite. Secundus locus, E. E. III. c. XV, magis perspicue cum nostro capite consentit. Auctorem primo loco laudato idem, quamvis minus manifeste, dicere voluisse eo apparet, quod hoc loco altero ad priorem reicit lectorem: ἐν μὲν οὖν τοῖς πρότερον ἐλέχθη, et idem exemplum profert vocis ἀληθὲς μέν, οὐ σαφὲς δέ: ὥσπερ ἂν εἴ τις ἐν τοῖς περὶ τὴν τροφὴν εἴπειεν ὡς ἡ ἰατρικὴ καὶ ὁ λόγος ταύτης. Initio secundi loci, E. E. III. c. XV, vox termini (ὅρος) significat terminum rectum mediae viae quaesitae: ἐπεὶ δ' ἐστί τις ὅρος καὶ τῷ ἰατρῷ πρὸς ὃν μεχρὶ πόσου ποιητέον ἕκαστον καὶ εὖ ὑγιαῖνον εἰ δὲ ἔλαττον ἢ πλέον οὐκέτι· οὕτω καὶ τῷ σπουδαίῳ περὶ τὰς πράξεις καὶ αἱρέσεις τῶν φύσει μὲν ἀγαθῶν, οὐκ ἐπαινετῶν δὲ δεῖ τινα εἶναι ὅρον καὶ τῆς ἕξεως καὶ τῆς αἱρέσεως καὶ φυγῆς <καὶ περὶ> χρημάτων πλήθους καὶ ὀλιγότητος καὶ τῶν εὐτυχημάτων. Sed porro notio termini in finis dirigentis mutatur. Nam ad illum terminum reperiendum: „δεῖ δέ," inquit, „ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ ἄρχον ζῆν, καὶ πρὸς τὴν ἕξιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν τοῦ ἄρχοντος . . . . . οὕτω δ' ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν . . . . . ἥ τις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει μάλιστα τὴν τοῦ θεοῦ θεωρίαν ἢ σώματος ἢ χρημάτων ἢ φίλων ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος,

ἤ τις δ' ἢ δι' ἔνδειαν ἢ δι' ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ Φαύλη· ἔχει δὲ τοῦτο τῇ ψυχῇ καὶ οὗτος τῆς ψυχῆς ὅρος ἄριστος, τὸ ἥκιστα αἰσθάνεσθαι τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς, ἥ τοιοῦτον". Hisce verbis notio, quae initio fuit termini, nunc dirigentis finis facta est. Qua cogitandi ratione Eudemus adductus est, ut virtutes intellectuales praeferret. Hic enim dirigens in virtute morali finis ab Eudemo a parte principali animi, i. e. τὸ θεωρητικόν petitur, vel potius revera „τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν" est. Haec Eudemi subordinatio generum virtutum ex nonnullis vocibus passim oblatis apparet, e. g. E. E. VII. c. XV. 14. δεῖ δὴ ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ ἄρχον ζῆν καὶ πρὸς τὴν ἕξιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν τοῦ ἄρχοντος; E. E. VII. c. XIV. ἡ γὰρ ἀρετὴ τοῦ νοῦ ὄργανον. Sed disertis verbis manifeste hanc doctrinam exposuit E. E. VII. c. XIII. 3—6. In his verbis explicandis partim Susemihlii emendationibus utor; nam in p. 1246 b. 15. legere malim (λογιεῖται τἀναντία) ἡ ἐπιθυμία, quam quae habet Susemihlius, et in p. 1246. b. 21 signa lacunae post ἀγνοεῖν ponere me quidem iudice necessarium non est, neque post ἐν τῷ ἀλόγῳ plura quam ἐν τῷ λογιστικῷ inserere opus est. Rerum summa haec est: § 3. Quia fieri potest, ut e virtute, ut habitu, tantum unum genus factorum emanet, (e. g. ex iustitia solum iusta neque iniusta facta), nulla virtus scientia dici potest. Sed, quod prudentia (φρόνησις) idem est atque scientia ac aliquid veri (ἐπιστήμη καὶ ἀληθές τι), eo ex prudentia duo inter sese contraria genera factorum emanare exspectandum est, et, ut ex prudentia stulte agamus, fieri poterit; § 4 in scientiis altera alteri

supposita est. Qua re autem omnium princeps (πασῶν κυρία) imperatur? Neque scientia neque virtute; nam hae illi principali ac summae arti ipsae parent, ut inferiores superiori; § 5. Estne, ut incontinentia est vitium partis animi irrationalis, ita vir intemperans idem ac incontinens vir mente non carens (ἀκρατὴς ἔχων νοῦν)? (Hac quaestione aliquid novi, certamen scil. inter partem irrationalem ac rationalem, in argumentatione auctorem proferre censeo.) Si vir intemperans vir est, in quo cupiditas partis animi irrationalis superet partem rationalem, et si *cupiditas* gravis partem animi rationalem vincere potest, tunc sine dubio etiam *virtus* partis animi irrationalis vitium rationalis partis, i. e. inscientiam, vincet, et tunc contrarium erit certamen priori (ἕτεραι μεταποιοῦνται). Tunc fieri poterit, ut iustitia utaris et iuste et iniuste, itemque prudentia utaris et prudenter et stulte. Absurdum enim esset, si vitium quidem partis animi irrationalis virtutem rationalis partem vincere posset, non tamen virtus partis animi irrationalis alterius partis vitium. Qua absurditate iudicare adducimur, virtutem irrationalis animi partis vitium rationalis bene vincere posse, et eo modo, ut ex inscientia prudenter agamus, fieri posse; § 6. Haec vero conclusio absurda est. (Sequitur textus desperate corruptus, cuius autem sententia haec fere est:) Quae ultima conclusio absurda est, ergo pars animi irrationalis nullo pacto rationalem partem convertere potest, qua de re, cui vitium rationalis animi partis inest, eum potissimum ad totam improbitatem vergere putamus; nam ὀρθῶς τὸ Σωκρατικὸν ὅτι οὐδὲν ἰσχυρότερον φρονήσεως.

Haec demonstratio manifeste Eudemi sententiam, virtutem moralem parti animi rationali plane esse subordinatam, comprobat, de quo Aristoteles non solum nil habet, sed etiam contrarium, i. e. mutuam coniunctionem praedicat. Primo enim loco E. N. X. c. VII 1. in medio relinquit, quae sit in nobis vis revera dirigens, neque ullum statuit finem externum, ad quem oculos vertamus; sed ante omnia actionem internam prae se fert (*μηδὲν ἐπιζητεῖται παρὰ τὴν ἐνέργειαν* E. N. X. c. VII. 3.): *εἰ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια, εὔλογον κατὰ τὴν κρατίστην· αὕτη δ' ἂν εἴη τοῦ ἀρίστου εἴτε δὴ νοῦς τοῦτο, εἴτε ἄλλο τι, ὃ δὴ κατὰ Φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων εἴτε θεῖον ὂν καὶ αὐτὸ εἴτε τῶν ἐν ἡμῖν τὸ θειότατον, ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία· ὅτι δ' ἐστὶ θεωρητική, εἴρηται.* Secundo loco, E. N. X c. VII. 8. optime apparet, quam longe illa Eudemi notio, finis ante oculos habendi „*τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν*," eiusque normae, scil. omnium, quae huic fini favent, — quam longe, dico, absit, subtili vero discrepantia, ab illis verbis pulcherrimis Aristotelis, E. N. X c. VII. 8. Quae verba quidem agnoscunt naturam divinam hominis iuxta humanam, sed illam divinam colendam non expresse ut normam totius vitae ponunt et tantum ipsas actiones (*ἐνεργείας*) animi partium diversarum describunt, et iuxta neque subordinate positas iudicant. Haec sunt: *ὁ δὲ τοιοῦτος* (*θεωρητικὸς λαβὼν μῆκος βίου τελείου*) *ἂν εἴη κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτως βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει· ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς κατὰ τὴν*

ἄλλην ἀρετήν· εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον· οὐ χρὴ δὲ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίζειν καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ· εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρόν ἐστι, δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον πάντων ὑπέρεχει .... c. VIII. δευτέρως δὲ κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν· αἱ γὰρ κατὰ ταύτην ἐνέργειαι ἀνθρωπικαί.

Hisce igitur verbis mentem a reliquis animi partibus separat Aristoteles, et humana secundo quidem ordine tractat; sed ideo divinam animi partem ut normam externam reliquarum non ponit. Neque in illis humanis altera pars alteri supposita est: E. N. X. c. VIII. 3. συνέζευκται δὲ καὶ ἡ φρόνησις τῇ τοῦ ἤθους ἀρετῇ, καὶ αὕτη τῇ φρονήσει εἴπερ αἱ μὲν τῆς φρονήσεως ἀρχαὶ κατὰ τὰς ἠθικάς εἰσιν ἀρετάς, τὸ δ' ὀρθὸν τῶν ἠθικῶν κατὰ τὴν φρόνησιν.

Ubi igitur mutua coniunctio praedicata est. Hic magistrum cognoscimus ipsum, qui, discipulus Platonis, illi contrariam doctrinam professus est, etiam naturae humanae nos debere reverentiam, neque Beatitudinem, i. e. perfectionem finium bonorum, quae in nobis insunt, nasci, nisi mutua harmonia omnium nostri animi partium.

Sic duobus doctrinis Aristotelis et Eudemi expositis, c. I. 1—4, ut prius prooemium, in quo haec notio finis statuendi tam manifeste ponitur, iuxta alterum, quod tanta vestigia Aristotelis ostendit, spurium esse pro certo me statuisse spero.

CAPUT II mirum in modum se prioris adiungit fini; hic enim habet: nobis virtutes duarum mentis partium

sunt quaerendae, illud incipit ab investigatione, quae sint principia actionis ac veritatis, scil. αἴσθησις, νοῦς, ὄρεξις. Comparat affirmationem ac negationem cogitationis (κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἐν διανοίᾳ) cum appetitus fuga ac appetitione (φυγὴ καὶ δίωξις ἐν ὀρέξει), quas notiones coniungit, ut habeat notiones cogitationis et veritatis practicae (διάνοια καὶ ἀλήθεια πρακτική). Deinde de duobus elementis consilii (προαίρεσις) disserit ut appetitionis ratiocinantis. Finem facit reiectio ad c. I: duarum igitur partium mentis munus est veritas eoque, qui habitus efficiunt, ut utraque pars mentis vera enunciet (ἀληθεύσει), virtutes sunt.

Neque Rieckher vel Rassovius neque Ramsauer vel Burnet hoc totum caput deleverunt. Tantum Stewart ad voces τρία δή ἐστι cet. „These words introduce *a singularly* confused passages in which the Aristotelian doctrine of animal motion as we find it in de An. III c. 9. 10. 11. and de Motu Anim., is applied to the explanation of πρᾶξις in particular". Sed, licet sit haec doctrina Aristotelica, quid ad locum? Post c. I finem, promissum mentis virtutes quaerendi, subito de principiis actionis agit, quorum appetitio minime ad mentis partes quadrat. Fortasse appetitio hic tractatur, ut ad cogitationem practicam (διάνοια πρακτική) perveniat auctor; sed tunc mirum est, supra mentis partem, in qua vis sciendi est, priore loco nominatam, et nunc virtutem partis, quae ad ratiocinandum valet, tractatam esse; deinde illam cogitationem practicam nil differre a prudentia, in c. V amplius tractata. Et locus post c. I et ipsius argumentum spurium praedicat cap. II. Praeterea ratio scribendi Aristotele indigna est; sed, ut

amplior et ludis verborum inquinata, vestigia Eudemi ostendit; cf. ludum verborum inanem in § 3 τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ἡ ἀληθεια ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ. Amplas repetitiones affero: § 2. coniungit affirmationem cogitationis cum appetitu appetitionis ad unam notionem cogitationis practicae, et § 3 idem habet aliis verbis; deinde etiam in § 4 ac § 5 bis definitione consilii i. e. appetitionis ratiocinantis, repetitur eadem notio. Seclusio Ramsaueri (§ 4) vel Susemihlii (§ 4 ac § 6) mihi satis facere non potuit propter huic ordini alienum capitis II et locum et argumentum.

Finem c. II. ad c. III. tracto.

CAPUT III initio praedicat, esse quinque vias, quibus animus non errat (οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχή) scil. artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, mentem. Deinde disserit de scientia, quamvis in enumeratione secundo loco posita. Quod vitium iam Spengelius animadvertit. Alioquin autem neminem hoc caput offendit. Attamen voces, quibus incipit caput ἀρξάμενοι οὖν ἄνωθεν περὶ αὐτῶν πάλιν λέγωμεν mirae sunt, quod ante de hac re non agebatur. Contra in fine et c. I. et c. II. de *duabus* virtutibus intellectualibus quaerendis neque de *quinque* viis, quibus animus non errat, tractavit auctor. Etiam differt modus, quo finis c. I. de duabus illis virtutibus disserere promittit, a ratione, qua finis c. II. de iis loquitur. Finis c. II. has duas virtutes vocat *habitus*, quibus animus non errat (οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχή). Notione ἀληθεύειν igitur coniungit auctor in fine c. II. sensum duarum virtutum intellectualium (in fine c. I.) cum quinque viarum, quibus animus non errat (initio c.

III). Qua coniunctione ortum est certamen inter Prantlium c. s., qui Aristotelem tantum duas virtutes intellectuales descripsisse in lib. VI. contendunt, et alios viros doctos, qui illas *quinque* vias, quibus animus non errat, in c. III. enumeratas, virtutes intellectuales ducunt. Quando perlegimus lib. VI, illa duo varia genera, duas virtutes intellectuales et quinque vias, quibus animus non errat, inter se mixta tractari perspicimus. Finis c. II. illa duo genera laxe coniungit voce ἀληθεύειν, qua postea usus est auctor apud notionem quinque viarum, quibus animus non errat, etiam adhibita apud notionem duarum virtutum intellectualium.

Itaque conicere velim, apud Aristotelem post c. I. exstitisse explicationem, quo modo illa duo genera inter sese cohaereant et, hac explicatione amissa, Eudemum, qui c. II inseruerit, etiam finem c. II ac initium c. III (p. 1130. b. 14—18) addidisse, ut finem c. I cum c. III, IV, cet, apte coniungeret.

Sequentia c. III pulchra dissertatio de scientia sunt.

CAPUT IV tractat de arte et nil habet, quod animi attentionem moveat, nisi § 5, cuius Rassovius voces ἐπεὶ δέ usque ad πράξεως εἶναι secludit, nam: „Die eingeklammerte Worte", inquit p. 43, „reiszen Engzusammengehöriges auseinander und sind um so unbegreiflicher als im Anfang des Capitels die ποίησις und πρᾶξις geschieden, und die Kunst auf Grund einer inductiven Betrachtung, dem Gebiete der ersteren Zugewiesen ist". Velim vero et sequentia usque ad § 6 reicere; nam notio fortunae (τύχη) loco laudato Agathonis habet aeque dubium sensum

ac in E. E. VII c. XIV, ubi nunc ut fors, nunc ut fortuna adhibetur: c. XIV. 1. ἀλλὰ φαμὲν καὶ τοὺς εὐτυχεῖς εὖ πράττειν ὡς καὶ τῆς εὐτυχίας ποιούσης εὐπραγίαν, et c. XIV. 9. ἔτι εἰ ὅτι τοιοσδὶ ἐπιτυγχάνει ἢ ἀποτυγχάνει, ὥσπερ ὅτι γλαῦκος οὐκ ὀξὺ ὁρᾷ, οὐ τύχη αἰτία ἀλλὰ φύσις· οὐκ ἄρα ἐστὶν εὐτυχὴς ἀλλὰ οἷον εὐφυής, ubi igitur τύχη ideoque εὐτυχής ut fors adhibetur; attamen § 22. habet: καὶ διὰ τοῦτο ὃ οἱ πάλαι ἔλεγον εὐτυχεῖς, καλοῦνται οἳ, ἂν ὁρμήσωσι, κατορθοῦσι ἄλογοι ὄντες καὶ βουλεύεσθαι οὐ συμφέρει αὐτοῖς· ἔχουσι γὰρ ἀρχὴν τοιαύτην ἢ κρείττων τοῦ νοῦ καὶ τῆς βουλεύσεως (οἳ δὲ τὸν λόγον· τοῦτο δ' οὐκ ἔχουσι) καὶ ἐνθουσιασμόν, τοῦτο δ' οὐ δύνανται", quibus in vocibus εὐτυχής significat eum, qui habet natura bonam fortunam et hac significatione auctor nostri loci utitur voce τύχη. Itaque totum § 5 damnare malim.

CAPUT V agit de prudentia pulchre quidem, sed posterior capitis pars priorem repetit. Etenim definitio in § 4, ὥστε ἀνάγκη τὴν φρόνησιν ἕξιν εἶναι μετὰ λόγου ἀληθῆ περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν, mera est repetitio illius in § 4: λείπεται ἄρ' αὐτὴν εἶναι ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. Hoc vero non solum vitium finis c. V est. Totum finem, § 5—c. VI delendum esse censeo, de quo Rassovius p. 45 iudicat: „Wer unbefangen den Abschnitt überliest, wird dies nicht für möglich halten, und mit mir die Befürchtung theilen, dass die echten Definitionen einer etymologischen Spielerei zu Liebe bei der Ueberarbeitung gefälscht sind."

Susemihlius, transferendo § 4 λείπεται ἄρ' — καὶ κακά et § 5 διὰ τοῦτο Περικλέα — § 6 περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν post § 7, difficultates tollere conatus est; sed

tunc restant mire duplex definitio prudentiae in fine § 4 et § 6, et repetitio comparationis prudentiae cum arte in § 7 postquam haec iam in § 3 absoluta est.

Quando accurate c. V. perlegimus, duas varias partes percipimus. Exordium procul dubio Aristotelicum est. Tractatio enim de prudentia initium capit a notione viri prudentis in sermone vulgari inventa, unde derivat prudentiam continere totam vitam humanam bene ac considerate peragendam, et ab aliis notionibus, artis et scientiae, separat. Ita materia restricta prudentiae descripta ad eius definitionem pervenit auctor: § 4 *λείπεται ἄρ' αὐτὴν εἶναι ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά.*

Quae vero sequuntur nil novi afferunt et priora tantum pluribus verbis repetunt et adornant. Initio enim § 5 *τῆς μὲν — εὐπραξία τέλος* supervacua est explicatio, qua re effectio (*ποίησις*) ab actione (*πρᾶξις*) differat, quae discrepantia iam initio c. IV ut magis hic ad rem tractata est. Praesertim vero amplum exemplum prudentiae in viris politicis, ut in Pericle, adhibitum, antequam prudentia in c. VIII theoretice in partes est divisa, ab Aristotele abhorret. Huc accedit, quod hic auctor *τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρόν* describit in § 6 ut causas efficientes, quae *διαφθείρουσι τὴν ὑπόλειψιν*. In hoc § 6 opinionem profitetur auctor, quae plane congruit cum ea, quam hodie „Determinismus" vocamus, et quae in Eth. Eud. valde perspicua est (cf. p. 51 supr. ac p. 118 med.). Etiam exemplum trianguli (§ 6) adhibitum et saepius in Eth. Eud. occurrens Eudemum mathematicum prodit. In fine etiam c. V vox *τὸ δοξαστικόν* mirationem movet, quod Aristotelem, spatio quattuor capitum interiecto, vocem

τὸ λογιστικόν in τὸ δοξαστικόν mutasse, non exspectamus, quippe qui notiones accurate definiat, et in E. N. III c. II. 10. δόξαν ut notionem ab huius capitis alienam describat.

CAPUT VI quaerit sedem principiorum in animo humano, quam mentem esse concludit per exclusionem aliarum notionum, scientiae, prudentiae, sapientiae. Quae ratio demonstrandi per exclusionem Aristotelica est (cf. E. N. II c. V).

CAPUT VII. Postquam c. VI de sapientia tractavit sensu particulari, nunc, c. VII ab eo progreditur ad sensum universalem (ὅλως σοφός), in quo elementum et mentis, sedis principiorum, et scientiae reperitur.

In hac explicatione textus differo a Ramsauero. Ad locum enim ἔν τε ταῖς τέχναις: „Particula", inquit, „ista τε non habet in proximis, quo referatur. Neque id sine detrimento sententiae factum est; nam desideratur quaedam demonstratio, per quam probabile sit non tantum ad artes, sed etiam magis vel rectius ad alterum genus (τὸ ἐπιστημονικόν) sapientiam referendam esse. Quod enim sequitur, vs. 12: εἶναι δέ τινας σοφοὺς οἰόμεθα ὅλως, si de verbis quaeratur, ad illa ἐνταῦθα μὲν οὖν (vs. 11) accommodatum est, ad sententiam vero res ita non absolvitur, siquidem scientia iam neque arti cuidam neque omnino arti opponi potest, tamquam τὸ ὅλον πρὸς τὸ μέρος".

Sed Ramsauer me quidem iudice gravius auctorem accusat. Saepius vox δέ vocem τέ sequitur et ἐνταῦθα μὲν οὖν propter vocem οὖν cum sequenti δέ non sunt conferenda, sed priorem sententiam tantum breviter repetunt. Hoc loco, ut ait Ramsauer, demonstrationem desiderari, sapien-

tiam etiam ad τὸ ἐπιστημονικόν esse referendam, iniusta accusatio est. Nam post genus particulare sapientiae, scil. artis, ponit auctor aliud universale, e sermone vulgari prolatum (οἰόμεθα) et sine demonstratione receptum, quod novum genus more suo dividit tantum in partes (§§ 2. 3.) et explicat, neque quidquam probare conatur. Quod autem pergit dicere Ramsauer ad p. 1141. a. 20 approbo: „Deest prioris disputationis, in qua de virtutibus intellectualibus in universum agitur, finis, in quo, siquid video, quaesitum est, cur ipsa τέχνη non sit et qualis eius sit virtus (cf. 1140. b. 21 sq.), imprimis autem utrum etiam ἐπιστήμη et νοῦς rationis theoreticae virtus sit an sola σοφία: deest etiam sequentis tractatus, qui ad σοφίαν atque φρόνησιν et praecipue ad φρόνησιν quidem specialiter et accuratius illustrandum spectat, particula initium sumens: fortasse tamen potius iam ante vs. 20 ὥσπερ signa lacunae erant ponenda?" Quae omnia approbare possum. Ut iam supra conieci, Aristoteles rationem inter duas virtutes intellectuales et quinque vias, quibus animus non errat, post E. N. VI. c. I tractavit, et nunc eam, h. l. c. VII ultima virtute intellectuali tractata, repetivit. Etiam dissertationem summae virtuti, sapientiae, breviorem in c. VII habemus relictam.

In fine c. VII p. 1141. a. 21. b. 21. invenimus molestas repetitiones, quae saepius explicant, quod iam diu cognovimus, identidem de notione prudentiae disserentes. In § 4 ponit scientiam, prudentiae necessariam, esse rerum mutabilium, et in aliis rebus aliter adhibendam (cf. c. V). Quod exemplo Anaxagorae adornavit in § 5, ut in § 6 ad idem rediret, contendens prudentiam esse ratiocinari

in variis rebus de variis opibus adhibendis. Propter quam rationem scribendi, Aristotelica ampliorem ac loquaciorem, hunc finem c. VII damnare velim et ex Eudemi tractatu de prudentia sumptum esse conicio.

CAPUT VIII agit initio de divisione prudentiae. Ponit auctor, esse prudentiam ampliore sensu, quae totam vitam humanam in societate peractam complectitur, et restrictiore, singularis vitam hominis dirigentem; et eodem modo esse politicam artem ampliore sensu, quae continet totam reipublicae administrationem (et ipsam legislationem et earum legum usum), et restrictiore, quae tantum est legum perfectarum aptus usus. Secunda pars repetit c. VII.

Fischer primus exordium c. VIII testimonium Eudemi auctoris duxit. Comparat hunc locum cum E. E. I. c. VIII. 20, ubi etiam artem politicam cum oeconomica coniunctam esse perhibet. Sed, si accuratius E. E. I. c. VIII. 20 legimus, videmus hunc locum cum acuta distinctione, in E. N. VI c. VIII data, minime quadrare. Nam illic ἡ κυρία (ἐπιστήμη) πασῶν, explicata ut πολιτικὴ καὶ οἰκονομικὴ καὶ Φρόνησις, indicat, politicam ac oeconomicam esse artes, quae hominum societatem complectuntur, prudentiam vero vitam solam singularis hominis tueri, cum hic prudentia et in ampliore et in hac Eudemi restrictiore sensu tractata sit.

Rassovius p. 45 exordium c. VIII damnat, quod inter se cohaerentia interrumpat. Verum quidem est finem c. VIII bene ad finem c. VII se applicare; sed, si ea de causa initium c. VIII expungimus, optimam expositionem de prudentiae generibus desideramus, et nil nisi verbosam descriptionem naturae prudentiae — quam iam in c. VII

iusto longius procedere iudicavimus — acquirimus. Quo accedit, quod post expositionem de virtutibus intellectualibus divisio prudentiae in varias eius partes iure est exspectanda; sed hanc etiam esse confectam in Eth. Nic. comprobat vox *ἐδόκει* in E. N. X c. IX. 16. *ἆρ' οὖν μετὰ τοῦτο ἐπισκεπτέον πόθεν ἢ πῶς νομοθετικὸς γένοιτ' ἄν τις; ἢ καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων παρὰ τῶν πολιτικῶν; μόριον γὰρ ἐδόκει τῆς πολιτικῆς εἶναι.* Praeterea, quando secludimus c. VIII initium usque ad p. 1142. a. 11 *σημεῖον*, et c. VII una cum hoc fine c. VIII legitur, fit longior digressio de prudentiae natura et tarda enumeratio exemplorum huius naturae: 1° c. VII. 7 *εἰ γὰρ εἰδείη ὅτι τὰ κοῦφα εὔπεπτα κρέα καὶ ὑγιεινά, ποῖα δὲ κοῦφα ἀγνοοῖ, οὐ ποιήσει ὑγίειαν;* 2° c. VIII. 5. *διότι γεωμετρικοὶ μὲν νέοι καὶ μαθηματικοὶ γίνονται, καὶ σοφοὶ τὰ τοιαῦτα, φρόνιμος δ' οὐ δοκεῖ γίνεσθαι;* 3° c. VIII. 7. *ἔτι ἡ ἁμαρτία ἢ περὶ τὸ καθόλου ἐν τῷ βουλεύσασθαι ἢ περὶ τὸ καθ' ἕκαστον· ἢ γὰρ ὅτι πάντα τὰ βαρύσταθμα ὕδατα φαῦλα, ἢ ὅτι τοδὶ βαρυσταθμόν*".

Quibus omnibus de causis exordium c. VIII pulchram Aristotelis prudentiae divisionem in partes esse, finem vero § 5 *σημεῖον* cet. — § 8 cum fine c. VII deleto ex Eudemiis fragmentis translatum esse censeo.

CAPUT IX et sequentia de notionibus cum prudentia connexis, prudentiae speciebus, tractant. Rassovius autem iure contendit, hoc caput non satis cum prioribus esse coniunctum, p. 46. „Wahrscheinlich ist der obige Satz (c. IX. 1.) ein Bruchstück des Abschnitzes, mit dem die Besprechung der *εὐβουλία* ursprünglich zusammenhing." Quae laxa coniunctio c. VIII. ac c. IX. affirmat meam coniecturam,

finem c. VIII. iniuste inter partes et species prudentiae, (c. VIII, πολιτική, βουλευτική, δικαστική cet, et c. IX. εὐβουλία, εὐστοχία cet.), esse insertum. Ipsa tractatione harum subtilium distinctionum in capp. IX, X, XI. 1. Aristotelem auctorem agnoscimus.

In his capitibus nullae nobis oriuntur quaestiones.

CAPUT XI, 2 finem facit tractationi variarum specierum prudentiae omnesque has ad unam naturam reducit, quod omnes sunt rerum ultimarum ac singularium (τῶν ἐσχάτων καὶ τῶν καθ' ἕκαστον). Mens duplici sensu rerum ultimarum esse dicitur, scil. et principiorum et rerum vitae practicarum (τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα). Qua de re auctor mentem, prudentiam, intelligentiam (σύνεσιν), sententiam, (γνωμήν) ut natura nobis datas (φύσει) describit, et sapientiam ut vita procedente acquisitam.

Jure Trendelenburg „Hist. Beiträge" 1855. vocem αἴσθησιν sensu figurali intellegit. Mens cum sensu (αἰσθησις) conferri potest, quando sensum intellegimus scientiam intuitivam principiorum.

Susemihlius damnat § 4 καὶ ὁ μὲν — αὕτη δ' ἐστὶ νοῦς, sed haec verba tantum explicationem rerum priorum continent, valde necessariam, quod hic post notionem mentis in c. VII. aliam novam profert auctor.

Haec verba secludenda non sunt, si reliqua servamus. Sed totus finis c. XI. post § 1 mihi suspicionem movet.

Etenim reductione illarum prudentiae specierum ad unam notionem: artis de rebus ultimis ac singularibus, iterum auctor materiam tractat iam (c. V.) tractatam, quae etiam bene se ad c. VII. ac c. VIII. fines, a nobis damnatos,

applicat. Praeterea nova notio, quam c. VI, de mente agens, nondum noverat, hic ponitur. Has duas mentis notiones Aristoteles quidem agnovisse videtur, cf. E. N. X. c. VII. 2. καὶ γὰρ ὁ νοῦς τῶν ἐφ' ἡμῖν καὶ τῶν γνωστῶν περὶ ἃ ὁ νοῦς); sed h. l. νοῦς ut διάνοια adhibetur, ut saepius apud Aristotelem, i. e. sensu ampliore, continente et διάνοιαν θεωρητικήν (νοῦς sensu restrictiore c. VI) et διάνοιαν πρακτικήν (φρόνησις c. V). Aristotelem primo mentis notionem restrictiorem tractasse (c. VI) et postea (c. XI. 3) ad eam aliam (διάνοιαν πρακτικήν) adiunxisse, quae nil a sua notione prudentiae differret, absurdum est. Contra illam novam mentis notionem, ut cogitationem practicam, iam in c. II. repperimus, quod Eudemi esse censuimus. Huc accedit, quod in hoc capite notio sapientiae, a modo (c. VII) definitae abhorret. Illic enim etiam elementum mentis in sapientia inesse creditum est, quod natura (φύσει) accipimus, hoc loco vero nullum virum natura (φύσει) sapientem dici posse affirmat auctor. Etiam testimonia ex lingua sumpta afferre possum. Eudemi est voces ἕξιν et δύναμιν promiscue adhibere. Et quamquam in virtutibus intellectualibus etiam apud Aristotelem δύναμις habitum significare potest (cf. Metaph. 1046. b 1.), tamen animadversione dignum videtur, Aristotelem in lib. VI. et in scientia tractanda et in arte et in prudentia semper voce habitus uti, hoc loco vero habitum ac facultatem mixte, quem usum mixtum Eudemi esse vidimus (p. 52 supr.). Etiam vox ὅρος Eudemum in mentem revocat.

Quibus omnibus de causis c. XI. § 2—§ 6 ex Eudemi fragmentis male translatum censeo.

Ultima sententia c. XI τί μὲν οὖν ἐστιν ἡ Φρόνησις καὶ ἡ σοφία, καὶ περὶ τίνα ἑκατέρα τυγχάνει οὖσα, καὶ ὅτι ἄλλου τῆς ψυχῆς μορίου ἀρετὴ ἑκατέρα, εἴρηται, ad priora non bene se applicat. Nam quid ad hunc locum attinent verba de prudentia ac de sapientia, et quo modo tractationi de mentis duplici notione in c. XI se adiungunt? Iure Prantlius [1]) etiam hoc loco nisus coniecturam defendit, Aristotelem duas tantum virtutes intellectuales descripsisse, nec non Rassovius (p. 142.) profert, praeter c. I p. 1139. a. 15 ac c. II p. 1139. b. 12, hunc locum ut „vollkommen ausreichend um die gewöhnliche Ansicht (i. e. contra Prantlium, Aristotelem quinque virtutes intellectuales descripsisse) als unhaltbar erscheinen zu lassen." Nec minus ipse mihi persuasum habeo, c. I, in fine, et hunc locum procul dubio comprobare, Aristotelem duas tantum virtutes intellectuales tractasse, sed quinque vias, quibus animus non errat, quae duo genera quodammodo coniunxerit. Conieci (p. 100 med.), Aristotelem inter c. I ac c. III illam coniunctionem descripsisse eamque in fine c. VII sapientia, ultima virtute, tractata, repetivisse. Persequor nunc hanc coniecturam. Delevi fines c. VII, c. VIII, c. XI, ita ut Aristotelem, virtutibus ipsis in capp. III—VII tractatis, et partibus ac speciebus prudentiae in capp. VIII—XI. 1. descriptis, toti tractationi finem fecisse censeam hisce verbis: τί μὲν οὖν ἐστιν ἡ Φρόνησις καὶ ἡ σοφία καὶ περὶ τίνα ἑκατέρα τυγχάνει οὖσα καὶ ὅτι ἄλλου τῆς ψυχῆς

1) Ueber die dianoetischen Tugenden in der Nicomachischen Ethik des Aristoteles. 1852.

μορίου ἀρετὴ ἑκατέρα, εἴρηται. Est quidem audax coniectura, haec verba genuina Aristotelis inter fragmenta Eudemi posita esse (nam et capp. XII—XIII damno), tamen affirmatur eo, quod haec verba male cum reliquo capite XI coniunguntur, in quo nil de ipsa prudentia, nec non eo, quod finis c. I plane cum iis congruit.

CAPITA XII. XIII propter argumentum continuum una tractentur. Incipit c. XII rogare, quae sit utilitas prudentiae ac sapientiae, et respondet, illas hoc modo se habere, ut sapientia ut valetudo condat Beatitudinem idque faciat secundum prudentiam ac virtutem moralem (κατὰ φρόνησιν καὶ κατ' ἀρετήν), ita ut virtus moralis finem (σκοπόν), prudentia vias ad finem (τὰ πρὸς τὸν σκοπόν) reddat bonas. Deinde ponit aporiam, nos prudentia utendo nequaquam acquirere maiorem facultatem bene agendi. Qua de causa praeter prudentiam aliquid in nostro ingenio inesse oportet, quo ipsa natura neque mentis deliberatione (prudentia) viam ad finem invenit, quam novam notionem vocat sollertiam (δεινότητα). Et in c. XIII comparat virtutem principalem (κυρία ἀρετή) cum virtute naturali (φυσικὴ ἀρετή) eadem ratione qua prudentia cum sollertia confertur.

Hae novae notiones, sollertia et inde orta virtus naturalis, magnum certamen inter viros doctos moverunt. Quorum sententias recensebo, ut postea eo facilius meam proponam cumque eorum conferam.

Primus Fischer his capitibus coniecturae suae argumentis usus est demonstrando (p. 36), illam virtutem moralem plane cum E. E. II c. XI consentire; sed offendere E N. II c. I. Fritzsche, qui Fischerum in coniunctione huius

capitis cum E. N. VI c. I (i. e. Eudemi) sequitur, apud Aristotelem tamen „adumbrationes" notionis virtutis naturalis inveniri posse iudicat.

Trendelenburg, Hist. Beiträge 1855. comparat haec capita cum E. N. VI. c. I et cum X. c. VIII. Haec habet p. 384. m.: „Wenn die Ethische Tugend in den Extremen der Triebe, im Zuviel und Zuwenig das richtige Maass der Mitte hält, wie z. B. die Tapferkeit zwischen der Feigheit und Tollkühnheit: so sollten nach dem *ersten Kapitel* des Buchs die dianoetischen Tugenden dazu dienen, das richtige Verhältnis zu bestimmen. Die praktische Weisheit (*Φρόνησις*) würde insbesondere diese aufgabe haben; und es kann hiernach keine ethische Tugend geben ohne diese erkennende. Im *letzten Kapitel* wird umgekehrt gesagt, es könne keine *Φρόνησις* ohne die ethische Tugend geben. Denn der beste Zweck, um den es sich handelt, erscheine nur dem Guten; die innere Schlechtigkeit verdrehe ihn und mache, dass man sich in Bezug auf die praktischen Principe durchweg täusche. *τοῦτο δὲ*, heisst es, nämlich *τὸ τέλος καὶ τὸ ἄριστον, εἰ μὴ τῷ ἀγαθῷ, οὐ φαίνεται· διαστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία καὶ διαψεύδεσθαι ποιεῖ περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχάς· ὥστε φανερὸν ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν.* Dieser Zirkel tritt noch nackter hervor, wenn man X. 8. p. 1178. a. 16. vergleicht: *συνέζευκται δὲ καὶ ἡ Φρόνησις τῇ τοῦ ἤθους ἀρετῇ καὶ αὕτη τῇ Φρονήσει, εἴπερ αἱ μὲν τῆς Φρονήσεως ἀρχαὶ κατὰ τὰς ἠθικάς εἰσιν ἀρετάς, τὸ δ' ὀρθὸν τῶν ἠθικῶν κατὰ τὴν Φρόνησιν.* Wo ist hier der feste Punkt? .... Dieser Zweifel wird bestärkt, wenn schon II. 6. die ganze Definition der ethischen

Tugend auf den *Φρόνιμος* gestützt wird, und nun der *Φρόνιμος* von der ethischen Tugend abhängt, p. 1106. b. 36. *ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ Φρόνιμος ὁρίσειεν.*

Wie ist dieser Zirkel zu lösen?

Zunächst darf man nicht ausser Acht lassen, dass *dialectisch* alles das sehr leicht die Form eines Zirkels annimmt, was *real* in dem Verhältniss der Wechselwirkung steht und daher auf einen gemeinsamen Ursprung zurückweist. Der Zirkel hat unter dieser Voraussetzung real keine andere Bedeutung, als dass beide Glieder *ἀρετή* und *Φρόνησις* mit einander werden und wachsen. Wenn sie dann ausgebildet sind, so erscheint die eine nur durch die andere vollendet".

Et Rieckher haec capita ut Aristotelica defendit Fritzschium impugnando, qui contendit, rectae rationis notionem in c. XIII arte cum Eudemi VI. c. I coniunctam esse: (p. 124) „Nun bedenke man aber, dass wenn irgend in cap. I ein tieferer Sinn enthalten sein soll — und diesen nehmen gerade die Vertreter dieser Ansicht an, in dem sie in cap. I einen entschiedenen Tadel der Theorie des Aristoteles finden — die Beantwortung jener Frage nicht mit irgend einen einzelnen Worte gegeben sein kann, welches dem *ὀρθὸς λόγος* substituirt würde, sondern mit einem, den formellen und abstracten *ὀρθὸς λόγος* ersetzenden, konkreten Princip. Davon wird man sich alsbald überzeugen, wenn man in cap. I dem *ὀρθὸς λόγος* die *Φρόνησις* substituirt, ohne dass es dadurch von seiner Bedeutung im mindesten verliert; ja Aristoteles selbst hat schon

II 6. die Bestimmung gegeben: ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ Φρόνιμος ὁρίσειεν, wofür sich ἡ Φρόνησις ohne weiteres setzen liesse". Etiam virtutis naturalis notionem contra Fischerum Aristoteli vindicat: „Nachdem nämlich Aristoteles II c. I 4. sich so bestimmt gegen eine natürliche Tugend erklärt, befremdet es allerdings VI. 13. die ἀρετὴ Φυσική ohne Weiteres genannt zu finden. Die Einwendung, Aristoteles spreche ja auch von einer ἀρετὴ ἵππου, ὀφθαλμοῦ, κτήματος, ἔργου, trifft in Wahrheit den Streitpunkt nicht, so scheinbar sie auch ist. Denn ἀρετή ist in den letzteren Verbindungen eben Güte, Vollkommenheit; erst beim Menschen ist sie Tugend. Neben der eigentlichen Tugend nun eine gewisse natürliche Vollkommenheit des Menschen an zu nehmen hat gar keine Schwierigkeit in (vgl. auch X 10.), wohl aber in dem gleichen Zusammenhange beide zu verbinden, ohne dass der Leser aufmerksam gemacht wird, es stehe diess nicht im Widerspruch mit dem früher gegebenen Bestimmungen. Daran also stossen wir uns mit Recht; diess kann uns aber nur veranlassen in VI. 13 eine nicht im gleichen Zusammenhang mit II. c. I. 4 von Aristoteles ausgearbeitete Stelle zu sehen, nicht sie ihm ganz ab zu sprechen."

Rassovius notionem sollertiae non ut alii duplicem facit in c. XII. 9; sed τούς ante πανούργους (p. 1144. d. 28.) inserere nolens explicat πανούργους sensu „callidi", ita ut h. l. dictum esset, viros prudentes esse et sollertes et callidos. Quae explicatio minime cum prioribus quadrat; nam illic expresse sollertia in duo genera divisa est, unde pergit auctor: διὸ καὶ τοὺς Φρονίμους δεινοὺς καὶ

<τοὺς> πανούργους φαμὲν εἶναι, quibus igitur nunc item ac supra sollertiam, viros sollertes dividit in duo genera, scil. prudentes et malos, neque ut Rassovius opinatur, dividit viros prudentes in sollertes et callidos. Hac eius explicatione efficitur, Rassovium sollertiam cum prudentia coniungere, quo facilius adductus est, ut haec capita Aristoteli non abiudicet. Haec sunt verba: „Wie Aristoteles auf der ethischen Seite der natürlichen Tugend die vollendete gegenüberstellt, so unterscheidet er auf der dianoetischen Seite zwischen einer natürlichen Verstandesbegabung (δεινότης) und zwischen der Tugend der φρόνησις. Die δεινότης wird ein Vermögen (δύναμις) genannt und kann als solches ebensowohl in den Dienst des Bösen, als des Guten treten. Ist das letztere der Fall und wird aus dem blossen Vermögen eine feste Charaktereigenschaft, so geht aus der δεινότης die φρόνησις hervor".

Stewart contra Grantium, qui hoc loco notionem consilii ab E. N. abhorrere posuit, haec capita defendit hisce verbis, vol. II p. 101: „I think that Grant is mistaken in supposing (as he seems to do) that there is any deviation marked here from Aristotle's doctrine of προαίρεσις as „faculty of means." The writer says distinctly ἔστι μέντοι ἡ προαίρεσις οὐ τούτου (i. e. of the *end*) ἀλλὰ τῶν τούτου ἕνεκα (the means); and if he gives us to understand that προαίρεσις „implies both, end and means", he only expresses what is involved in Aristotle's and his own view of προαίρεσις as faculty of means — sc. of means *to a certain end*. There is no more awkwardness, I think, in saying τὴν μὲν οὖν προαίρεσιν ὀρθὴν ποιεῖ ἡ ἀρετή, τὸ δ' ὅσα

ἐκείνης (sc. τῆς προαιρέσεως) ἕνεκα πέφυκε πράττεσθαι οὐκ ἔστι τῆς ἀρετῆς, than in saying, as both Aristotle (E. N. III 2. 1.) and Eudemus (E. E. II. 11. 1228. a. 2) say, that we judge of a man's charakter (i. e. his end) from his προαίρεσις — i. e. we think less of what his acts are in themselves, than of the end for which he chooses them as means". Etiam notionem virtutis naturalis Aristoteli vindicat Stewart contra Fritzschium, qui tantum „adumbrationes" illius notionis apud Aristotelem inveniri contendit, p. 105 „The doctrine of φυσικὴ ἀρετή or a constitutional tendency to goodness, which lends itself kindly to moral training, is, Fritzsche takes pain to show, an Eudemian *development of hints supplied by Aristotle* e. g. in E. N. II. 13, II. 5. 5, X. 8. 2, X. 9. 8 It is true that the doctrine of φυτικὴ ἀρετή is very definitely presented in the E. E., as will be seen from the passage quoted below; but I think, that Justice is scarcely done to Aristotle's statements on the subject, when they are summarily described as „hints" — „confidentius ut de rebus exploratis loquitur Eudemus quam facit Aristoteles, ex cuius quasi adumbrationibus ..... haec doctrina petita est." (Fritzsche ad E. E. 1233. b. 16). The statement of Aristotle (referred to by Fritzsche) in E. N. II. 1. 3. οὔτ' ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταὶ ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους, *seems to go far beyond a hint.*"

Neque ultimus editor E. N., Burnet, haec capita Aristoteli abiudicat.

Quamquam haec omnia argumenta, quae haec capita

genuina esse demonstrare conantur, accurate ac diligenter perpendi, tamen mihi satisfacere non potuerunt, imprimis tot gravibus ac molestis difficultatibus et controversiis repugnantibus, quae, cui principia Aristotelis Ethices ante oculos sunt, haec capita legenti multifarie occurrunt. Omnia, quae postea prolata sunt, me prohibere non possunt, quin Fischeri sim sententiae, qui defendit totum horum capitum argumentum ab Aristotele abhorrere contraque cum Eth. Eud. bene quadrare. Ut ad E. N. VI c. I. fusius exposui, non est Aristotelis, sed Eudemi notionem finis (σκοπός) ponere, quo rectum medium definiamus. Eodem modo hic auctor quaerit, quae sit utilitas prudentiae ac sapientiae, i. e. quo munere ambae in virtute fungantur. Haec quaestio ad praxin spectat et Eudemo digna est, qui alterutri munus expresse tribui vult. Aristoteles nil nisi actionem (ἐνέργειαν) quaerit itaque Aristoteles in c. XII. 4, enumeratione, ad quas res prudentia ac sapientia utiles sint, ad priora substitisset πρῶτον μὲν οὖν ὅτι καθ' αὑτὰς ἀναγκαῖον αἱρετὰς αὐτὰς εἶναι ἀρετάς γ' οὔσας ἑκατέραν ἑκατέρου μορίου, neque longius processisset: ἔπειτα καὶ ποιοῦσι μὲν οὐχ ὡς ἰατρικὴ δ' ὑγίειαν, ἀλλ' ὡς ἡ ὑγίεια, οὕτως ἡ σοφία εὐδαιμονίαν· μέρος γὰρ οὖσα τῆς ὅλης ἀρετῆς τῷ ἔχεσθαι ποιεῖ καὶ τῷ ἐνεργεῖν εὐδαίμονα. ἔτι τὸ ἔργον ἀποτελεῖται κατὰ τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν. His enim verbis scriptor absolutam coniunctionem ac subordinationem trium generum virtutum praedicat, cum Aristoteles in E. N. X. c. VII. VIII illa tria iuxta ponit, in c. VII de summa sapientia, in c. VIII secundo loco (δευτέρως) de prudentia ac virtute morali ut mutue coniunctis disserens.

Quod multi contendunt, c. I cum huius capitis notione rectae rationis non quadrare, verum esse videtur, non tamen est. Nam c. I rogat, qui finis nos dirigat, et respondet ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος, unde iterum rogat auctor, quid sibi velit haec notio ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος. Cui posteriori quaestioni nunc c. XII respondet, illam definitionem mediae viae: ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος haec praedicare: virtus facit, ut finis rectus sit et item ut prudentia. Videtur igitur definitio normae vitae moralis primo (c. I) esse recta ratio, postea (c. XII) virtus, quae facit, ut finis rectus sit, ideoque hi duo loci inter sese non quadrare; sed revera in c. I quaestio, quid denique illud ὡς ὁ ὀρθὸς λόγος sibi velit, in c. XII absolvitur, ponendo, hoc esse alterutrius munus: virtutis, finem facere, prudentiae, vias, quae ad finem ducunt, rectas. Est Eudemi ad definiendam normam practicam, quaerere, quid ipsum cuiusque virtutis munus sit, et recta ratione altiorem normam petere. Aristoteles non rogat, quid postremo norma rectae rationis sibi velit; sed ad hanc, ut fundamentum subsistit cf. E. N. II c. II. 2 τὸ μὲν οὖν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν κοινὸν καὶ ὑποκείσθω, et E. N. II c. VI 15 ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.

Etiam Trendelenburg, ut supra vidimus, concedit, c. I et c. XII inter sese pugnantia habenda non esse; sed ratio, qua hoc defendit, mihi recta non videtur. Ponit enim et inter haec capita, ut Aristoteles expresse X c. VII testificatur de prudentia ac virtute, esse mutuam quandam coniunctionem. Attamen magna est discrepantia

inter X c. VII, ubi mutuam coniunctionem disertis verbis expressam invenimus, et VI c. I ac c. XII, ubi expresse dicit auctor (c. XII), virtutem facere finem bonum, ad quem oculos figendo bonas vias ad finem invenimus (c. I). Eo igitur modo omnia posita sunt in virtute, quae facit finem bonum itaque vias ad finem, neque ulla perspicua est coniunctio mutua. Haec autem ratio normae definiendae merus est circulus vitiosus: virtus nascitur, quando virtus facit finem bonum itaque vias ad finem. Quem circulum vitiosum, ab Aristotele evitatum in III c. IV, apud Eudemum invenimus in II c. V, ubi quaedam fraus (ἀπατή) describitur, qua res bonae videntur, quae revera non sunt, et idem significat Eudemi notio: ἡ κακία διαφθείρει καὶ διαστρέφει. Quod verum est in hac sententia „Determinismi", ut hodie vocamus, Aristoteles quidem aliquantulum non negavit (cf. E. N. II c. IX ἄλλοι γὰρ πρὸς ἄλλα πεφύκαμεν); sed ut fundamentum, quod fit apud Eudemum, doctrinae ethicae non posuit. Quando quaerimus, quid Aristoteles ultimum fundamentum Ethices posuerit, tantum implicite eum professum esse reperimus: E. N. III c. IV ἆρα φατέον ἁπλῶς μὲν καὶ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν εἶναι τἀγαθόν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον .... κατ' ἑκάστην γὰρ ἕξιν ἴδιά ἐστιν καλὰ καὶ ἡδέα καὶ διαφέρει πλεῖστον ἴσως ὁ σπουδαῖος τῷ τὸ ἀληθὲς ἐν ἑκάστοις ὁρᾶν ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν. Quibus igitur verbis non expresse, sed implicite ultimam normam Ethices quaerit ex conscientia, quam habemus homines inter homines versantes, imaginis hominis boni (ὁ σπουδαῖος). Quod eo facilius ponere potest, quod Ethicen ut provinciam Politices tractat, et eo ipso

Eudemus, qui Ethicen et Politicen laxius coniungit et singularis homini virtutem definire conatur, in vitiosum circulum incidit.

Sunt plura huius Eudemi rationis cogitandi vestigia. Ut dicit scriptor ἡ ἀρετὴ ποιεῖ τὸν σκοπὸν ὀρθόν, ita τὴν μὲν οὖν προαίρεσιν ὀρθὴν ποιεῖ ἡ ἀρετή. Iam Grant iure animadvertit, hoc loco consilium eadem notione non esse ac E. N. III c. II. 17, ut consciae electionis viarum, quae ad finem ducunt, sed notione voluntatis quendam finem consequendi, quam quis habet. Stewartii sententia, προαίρεσιν h. l. significare „a faculty of means to a certain end" eandemque notionem in consilio Aristotelico inesse, mihi persuadere non potuit, quia h. l. disertis verbis προαίρεσις deliberationi viarum, quae ad finem ducunt (ὅσα ἐκείνης ἕνεκα πέφυκε πράττεσθαι) opponitur, cum E. N. III c. II. 17. consilium tantum electionem viarum ad finem ducentium neque ipsius finis esse declarat. Primo igitur auctor consilium miro sensu adhibet, ab Eth. Nic. alieno, deinde si hunc sensum approbamus, voces τὴν μὲν οὖν προαίρεσιν ὀρθὴν ποιεῖ ἡ ἀρετή eandem significationem damnandam profitentur ac ἡ ἀρετὴ ποιεῖ τὸν σκοπὸν ὀρθόν.

Attamen sententia ac notione, quae in talibus vocibus expressae sunt, multa ac gravia efficiuntur. Quod omnia in virtute ponit absque ea dirigente omnia pendere sinit, et prudentia ut mera forma, qua ostentetur virtus, utitur, facile eo pervenit auctor ut prudentiam desiderari et virtutem per se ipsam ostendi sinat. Qua ratione cogitandi adductus est ut praeter prudentiam aliam notionem poneret, sollertiae (δεινότης), quae notio significat, naturam humanam

ipsius vi ac potestate vias, quae ad finem ducant, invenire posse, et eo modo, si natura bona sit, virtutem naturalem oriri, quod ipsius natura, non tamen prudentia vias, quae ad finem ducunt, reperit homo. Sed haec nova ratio, qua virtus humana ostenditur, Aristoteli repugnat, qui disertis verbis virtutem esse tantum secundum rectam rationem, i. e. prudentiam contendit (E. N. II c. II. 2.). Auctor huius loci (c. XIII. 4.) expresse contra hanc veterem Aristotelis notionem novam proponere videtur. Haec enim habet: *καὶ γὰρ νῦν πάντες ὅταν ὁρίζονται τὴν ἀρετὴν προστιθέασι τὴν ἕξιν, εἴποντες καὶ πρὸς ἃ ἐστι τὴν κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον· ὀρθὸς δ' ὁ κατὰ τὴν Φρόνησιν· ἐοίκασι δὴ μαντεύεσθαί πως ἅπαντες ὅτι ἡ τοιαύτη ἕξις ἀρετή ἐστιν ἡ κατὰ τὴν Φρόνησιν· δεῖ δὲ μικρὸν μεταβῆναι· οὐ γὰρ μόνου ἡ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, ἀλλ' ἡ μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου ἕξις ἀρετή ἐστιν.* Quae nova notio virtutis naturalis cum promisso in Eth. Eud. dato plane congruit, cf. E. E. III c. VII. 11. *ἔστι γὰρ ὥσπερ λεχθήσεται ἐν τοῖς ὕστερον ἑκάστη πως ἀρετὴ καὶ Φύσει καὶ ἄλλως μετὰ Φρονήσεως.*

Mirum igitur nobis non est ex hac nova animi facultate, sollertia, novum virtutis genus nasci, aeque ab Aristotele abhorrens. Nam virtus, quam auctor ex illa sollertia derivat, scil. naturalem, prorsus ab Aristotele aliena est. Quae enim verba habet c. XIII. 1. *πᾶσιν γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν Φύσει πως (καὶ γὰρ δίκαιοι καὶ σωΦρονικοὶ καὶ ἀνδρεῖοι καὶ τἆλλα ἕχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς)* non facile eiusdem auctoris esse possunt ac E. N. II c. I 2. *ἐξ οὗ καὶ δῆλον ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν Φύσει ἡμῖν ἐγγίγνεται,*

et E. N. I. c. XIII, ubi, omnes virtutes victoria viri continentis nasci neque ullam ipsa natura, praedicat auctor ut fundamentum totius notionis virtutis. Argumentatio, qua Stewart Fritzschium refutare conatus est, qui contendit, apud Aristotelem „adumbrationes" tantum illius virtutis exstare, et qua demonstrare vult, Aristotelem non solum adumbrationem, sed etiam ipsam notionem virtutis naturalis praedicasse, in contrarium evenit. Profert enim E. N. II. c. I. 3, quasi esset adumbratione fortius testimonium, etiam Aristotelem illam virtutem naturalem novisse. Attamen hoc loco, legitur .... ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, i. e. *nunquam* natura perfectam virtutem a puero habemus, semper tantum facultas eam recipiendi nobis inest. Qui igitur locus pro mea sententia pugnat, Aristotelem nunquam virtutem, natura acceptam, posuisse.

Vidimus igitur argumentum ab Aristotele abhorrere. Et ex oratione testimonia reperienda sunt. Verba ἡ ἀρετὴ ποιεῖ τὸν σκοπὸν ὀρθόν verbatim in E. E. II c. XI. 2. occurrunt et vox ὅλη ἀρετή magis Eudemi est. Sed maxime valet vox δοξαστικόν pro λογιστικόν, quae mutatio solum in c. V. 8, etiam a nobis damnato, repetitur, nec non nova divisio partis animi ratiocinantis in duo genera (εἴδη c. XIII. 2), de qua c. I 5 nil habet, suspicionem movet. Etiam haec nova notio sollertiae cum artis vocabulis Aristotelis non quadrat; nam Aristotelis ἕξις προαιρετική illam sollertiam continere nequit, sed bene Eudemi ἕξις κατὰ διάνοιαν.

Ergo apud neminem virorum doctorum, qui illam notionem

virtutis naturalis ut Aristotelicam defendunt, idonea ac satis gravia inveni argumenta, quae difficultatibus ac incommodis a me in his capitibus indicatis pensari possint. Quibus de causis c. XII ac. c. XIII ut ab Aristotele aliena et cum Eudemo plane consentanea damnanda esse censeo.

CAPUT V.

De libro VII. Eth. Nic

Septimi libri capita singula non tractabimus, quia nobis tota materia huius libri suspicionem movet. Insunt duae partes, c. I—XI, de continentia ac incontinentia, et c. XII—XIV de voluptate, quae duae arte inter sese cohaerent, voluptate ut causa efficiente incontinentiae tractata. Sed nusquam in Eth. Nic. invenimus indicationem huius materiae tractandae vel tractatae, in Eth. Eud. vero disertis verbis bis promissa est tractatio: E. E. II. c. XI ἔστι δ' ἀρετὴ καὶ ἐγκράτεια ἕτερον· λεκτέον δ' ὕστερον περὶ αὐτῶν, et E. E. III c. II, ubi expresse coniunctio voluptatis ac incontinentiae exposita est: ἀκριβέστερον δὲ περὶ τοῦ γένους τῶν ἡδονῶν ἔσται διαιρετέον ἐν τοῖς λεγομένοις ὕστερον περὶ ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας. Contra sunt vestigia in Eth. Nic., quae librum VII in Eth. Nic. suo loco legi impugnant, scil. E. N. X c. IX, ubi in enumeratione rerum tractatarum de continentia ac incontinentia silet auctor, et voluptatem ut *post* amicitiam tractatam enumerat, ut revera factum est in genuino libro X. Haec sunt vestigia externa. Ceterum tractatio continentiae non solum ab Aristotele promissa non est, sed etiam non exspectanda. Nam in E. N. I. c. XIII continentia et certamen internum victoriaque viri continentis

descripta est ut fundamentum omnium virtutum ideoque in Ethicis non tractanda, cf. E. N. I. c. XIII. 16. ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι μὲν ὁρῶμεν τὸ παραφερόμενον, ἐπὶ δὲ τῆς ψυχῆς οὐχ ὁρῶμεν. ἴσως δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ ἐν τῇ ψυχῇ νομιστέον εἶναί τι παρὰ τὸν λόγον, ἐναντιούμενον τούτῳ καὶ ἀντιβαῖνον. πῶς δ' ἕτερον, οὐδὲν διαφέρει. Accipit igitur Aristoteles hanc notionem victoriae partis animi rationalis ut virtutis fundamentum neque altius quaerit, qua ex re fiat, vel explicare conatur. Sic definit disciplinarum provincias et de ultima notione Ethices disserere ad aliam disciplinam reicit (πῶς δ' ἕτερον).

Attamen, ut supra vidimus (p. 49 supr.) Eudemi animi magis practici est normam vitae moralis ex appetenda aut effugienda voluptate quaerere, ita ut in Eth. Eud. multo magis, quam in Eth. Nic. de continentia ac incontinentia tractetur. Quod et Cook Wilson verum esse putat in opusculo de libro VII c. I—XI p. 78. „There is, however reason for thinking that the author of the principal part of the Eudemian Ethics may have written some of the book, both on account of the prominence of ἀκρασία in other books of the Eudemian version, which contrast in this respect with their Nicomachean equivalents and from the promise in Eud. Eth. III c. II."

Etiam Stewart indicat, materiam continentiae ac incontinentiae ab Eth. Nic. abhorrere, vol. II p. 115 „Thus the chief difficulties in the notion of voluntary action present themselves to the writer of the Eudemian Ethics (E. E II c. VII and c. VIII) in connection with ἐγκράτεια and ἀκρασία ..... the interest of the writer of E. N. VII

ch. 1—10 in his subject is to a considerable extent, a dialectical one; and the same remark applies to the writer of M. M. II ch. 4. 5. and. 6, who follows E. N. VII c. 1—10 very closely and probably (see Ramsauer E. N. p. 425,) had no other treatment of the subject before him, when he wrote". Omnium consensu M. M. magis Eth. Eud. subsequuntur quam Eth. Nic., et, in his prioribus continentiam magis esse tractatam, Stewart eo modo explicat p. 115 „It is the circumstance, that ἀκρασία lends itself to dialectical discussion, rather than the intrinsic importance of the subject, which accounts for its remarkable prominence in the Aristotelian system, *and more especially in the later versions of that system.*"

Omnis igitur tractatio materiae lib VII ab Aristotele est aliena, et hanc certe, quam invenimus in E. N. VII, vehementissime ab eo abhorrere demonstrare mihi est propositum.

Recenseamus argumentum: c. I materia libri indicatur, continentia ac incontinentia et feritas; c. II aporiae ponuntur; c. III de modo conscientiae (εἰδώς); c. IV de rebus, apud quas continentia ac incontinentia inveniuntur; c. V de feritate, quae in fine ut genus incontinentiae tractatur; c. VI de genere singulari incontinentiae, scil. cum adiectione (κατὰ πρόσθεσιν), irae incontinentia (θύμου ἀκρασία); c. VII de mollitudine ac tolerantia in doloribus, ita ut incontinentia ac continentia in voluptatibus, et in fine divisio incontinentiae in festinationem praecipitem (προπέτεια) ac imbecillitatem (ἀσθένεια). Finis quaestiunculas minoris momenti tractat: c. VIII: quia vir incontinens facilius convincitur, viro

intemperanti est melius sanandus ac minus corruptus; c. IX de imagine viri continentis, i. e. viri obstinati, qui semper sui propositi est tenax (ἰσχυρογνώμων, ἰδιογνώμων); c. X de ratione incontinentiae ac prudentiae (φρόνησις), ubi declarat eas coniunctas esse non posse sed, ut sollertia (δεινότης) in viro incontinenti insit, bene fieri posse.

Primo interrogemus, quae sit notio Aristotelis continentiae ac incontinentiae. Habemus tria testimonia: E. N. I. c. XIII p. 1102. b. 19 ἀτεχνῶς γὰρ καθάπερ τὰ παραλελυμένα τοῦ σώματος μόρια εἰς τὰ δεξιὰ προαιρουμένων κινῆσαι τοὐναντίον εἰς τὰ ἀριστερὰ παραφέρεται, καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς οὕτως· ἐπὶ τἀναντία γὰρ αἱ ὁρμαὶ τῶν ἀκρατῶν ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι μὲν ὁρῶμεν τὸ παραφερόμενον, ἐπὶ δὲ τῆς ψυχῆς οὐχ ὁρῶμεν. ἴσως δὲ οὐδὲν ἧττον καὶ ἐν τῇ ψυχῇ νομιστέον τι παρὰ τὸν λόγον, ἐναντιούμενον τούτῳ καὶ ἀντιβαῖνον. πῶς δ' ἕτερον, οὐδὲν διαφέρει. λόγου δὲ καὶ τοῦτο φαίνεται μετέχειν, ὥσπερ εἴπομεν· πειθαρχεῖ γοῦν τῷ λόγῳ τὸ τοῦ ἐγκρατοῦς. ἔτι δ' ἴσως εὐηκοώτερόν ἐστι τὸ τοῦ σώφρονος καὶ ἀνδρείου· πάντα γὰρ ὁμοφωνεῖ τῷ λόγῳ, qui locus unus Eth. Nic. praeter lib. VII de iis agit; de Anima III. IX 8. 433 b. d 1—3. ἔτι καὶ ἐπιτάττοντος τοῦ νοῦ καὶ λεγούσης τῆς διανοίας φεύγειν τι ἢ διώκειν οὐ κινεῖται ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν πράττει οἷον ὁ ἀκρατής; de Anima III X. 6 p 433 b. 5—10. ἐπεὶ δ' ὀρέξεις γίνονται ἐναντίαι ἀλλήλαις τοῦτο δὲ συμβαίνει ὅταν ὁ λόγος καὶ ἡ ἐπιθυμία ἐναντίαι ὦσι, γίνεται δ' ἐν τοῖς χρόνου αἴσθησιν ἔχουσιν (ὁ μὲν γὰρ νοῦς διὰ τὸ μέλλον ἀνθέλκειν κελεύει, ἡ δ' ἐπιθυμία διὰ τὸ ἥδη· φαίνεται γὰρ τὸ ἥδη ἡδὺ καὶ ἁπλῶς ἡδὺ καὶ ἀγαθὸν ἁπλῶς, διὰ τὸ μὴ ὁρᾶν τὸ μέλλον). Quibus ex locis eadem notio apparet. Ponit Aristoteles, *omnium* virtutum esse fundamentum

victoriam partis animi rationalis de parte animi irrationali, appetitiva (τὸ ὀρεκτικόν) reportatam. Quae notio haec fere vult: in viro continenti victoria partis animi rationalis manifesta fit usu prudentiae (Φρόνησις) vel rectae rationis (ὀρθὸς λόγος), quae dirigat partem animi appetitivam; in viro vero incontinenti vincitur prudentia parte animi appetitiva, qua re efficitur ut perperam deliberet ideoque cum consilio (προαιρέσει) male agat. Immo siquidem Aristoteles actionem incontinentem non cum consilio ac deliberate peractam putaret, nullo pacto certamen continentiae ac incontinentiae pro fundamento totius virtutis uteretur, cum sane alia vitia, ut ignaviam, cum consilio peracta putet.

Quam tractationem, rogare pergimus, habet lib. VII? In c. III ac IV de conscientia in incontinenter agendo agitur: Scientia quidem in viro incontinenti inesse videtur, sed ea non utitur, quam notionem ita explicat auctor: habet vir incontinens scientiam generalem (ἡ καθόλου ἐπιστήμη), sed abest scientia, quae ad res particulares pertinet (ἡ κατὰ μέρος), „οἷον καθεύδων καὶ οἰνωμένος". Disertis verbis hanc notionem exposuit c. III. 13 ἐπεὶ δ' ἡ τελευταία πρότασις δόξα τε αἰσθητοῦ καὶ κυρία τῶν πράξεων, ταύτην <δὲ> ἢ οὐκ ἔχει ἐν τῷ πάθει ὤν, ἢ οὕτως ἔχει ὡς οὐκ ἦν τὸ ἔχειν ἐπίστασθαι ἀλλὰ λέγειν ὥσπερ ὁ οἰνωμένος τὰ Ἐμπεδοκλέους..., et in c. IV de discrepantia intemperantiae ac incontinentiae: ὁ μὴ τῷ προαιρεῖσθαι τῶν τε ἡδέων διώκων τὰς ὑπερβολὰς καὶ τῶν λυπηρῶν ..... Φεύγων ..... ἀλλὰ παρὰ τὴν προαίρεσιν καὶ τὴν διάνοιαν ἀκρατὴς λέγεται. Postea de iis loquitur in c. VII. 8. (in divisione incontinentiae in festinatio-

nem praecipitem ac imbecillitatem) οἱ μὲν γὰρ βουλευσάμενοι οὐκ ἐμμένουσιν οἷς ἐβουλεύσαντο διὰ τὸ πάθος, οἱ δὲ διὰ τὸ μὴ βουλεύσασθαι ἄγονται ὑπὸ τοῦ πάθους. Qui ultimus locus contrarius prioribus esse videtur, non tamen revera est. Omnibus locis laudatis inest eadem notio: in viro incontinenti scientia generalis sita est, sed ea non utitur, quia scientia, quae ad res particulares pertinet, obscurata est voluptate (οἷον καθεύδων), *sed exiguum tantum tempus* (cf. c. III. 10. p. 1147. b. 2. ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς .... πῶς δὲ λύεται ἡ ἄγνοια καὶ πάλιν γίνεται ἐπιστήμων ὁ ἀκρατής, ὁ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ οἰνωμένου καὶ καθεύδοντος καὶ οὐκ ἴδιος τούτου τοῦ πάθους, ὃν δεῖ παρὰ τῶν φυσιολόγων ἀκούειν). Discrepantia igitur viri incontinentis ac intemperantis haec est: in illo scientia generalis manifesta fieri non potest prudentia, consilio ac deliberatione non adhibitis, cum in hoc scientia generalis mala est eoque mala manifesta fit prudentia et consilio. In c. VII. 8. autem illa notio deliberationis in genere incontinentiae, scil. imbecillitate, priorem impugnare videtur neque hic locus negare, viro incontinenti inesse scientiam, quae ad res particulares pertineat neque prudentiam vel consilium ac deliberationem. Estne nobis concedendum, esse quoddam genus incontinentiae, ubi non, ut in tota notio ne adhuc explicata, agatur sine consilio ac deliberatione, sed quod expresse dicatur peragi cum consilio ac deliberatione? Hoc minime verum. Si altius spectamus, in hoc novo genere, imbecillitate, non inesse aliam notionem conscientiae agendi, quam in incontinentia, sed eandem, tantum subtiliorem, cognoscimus. Sunt gradus incontinentiae, primus, in quo vir est maxime incontinens, i. e.

festinatio praeceps (προπέτεια), ultimus, in quo est vir minime quidem incontinens, sed in quo summa summarum prudentia superatur voluptate, οὐκ ἐμμένουσιν οἷς ἐβουλεύσαντο διὰ τὸ πάθος, quique ideo, *quando agit*, ita ut vir incontinens, non agit cum consilio ac deliberatione. Et in hoc novo genere imbecillitatis restat gravis discrepantia viri incontinentis ac intemperantis, quorum hic cum consilio male agit, ille, seu sine ulla deliberatione (προπέτης) seu deliberatione quidem inita, non vero ad finem adhibita, *quando agit*, sine consilio voluptate commotus male agit.

Hanc subtilem discrepantiam non vidit Wilson, quem secutus est Stewart. Iudicat enim, illam imbecillitatem esse genuinam incontinentiam, et priorem notionem incontinentiae, in VII c. III descriptam, sensu carere, p. 49 „Clearly the answer given in the chapter (c. III) is worse than no answer: if in the ἀκρατής knowledge of right and wrong is not realised but dormant (μὴ θεωροῦντα ἃ μὴ δεῖ πράττειν, 1146. b. 33); if, though he knows the general principle (the major premiss) which would condemn his action, he has not realised the particular circumstances (the minor premiss) in his act which make the principle applicable to it; — then he does not know that, what he is doing, is wrong, and therefore is not ἀκρατής at all. A mental struggle is impossible, since there is no actual knowledge for appetite to struggle with. Aristotle could scarcely have acquiesced in a mistake like this." Hac igitur notione reiecta pergit p. 54 „of the two kinds of ἀκρασία here (c. VII 8.) spoken of, one, προπέτεια, can

be easily adjusted to ch. III; but the other, which is clearly the more important *and truer* ἀκρασία, cannot possibly, because in this case the man has deliberated about the right course, but does not abide by the results of his deliberation from infirmity of will; *he has therefore the fullest knowledge that he is doing wrong.*"

A priore admirationem moveret, auctorem duo genera incontinentiae enumerare toto coelo, quod attinet ad conscientiam agendi, diversa. Festinationem enim praecipitem (προπέτειαν) nullo pacto, quod attinet ad conscientiam agendi, suae notioni imbecillitatis adaequare posset Wilson. Attamen eius notio imbecillitatis me quidem iudice minus recta est. Perperam habet de viro imbecillo, „he has therefore *the fullest knowledge* that he is doing wrong." Tunc nil differret a viro temperanti neque auctor de vitio, „with the fullest knowledge" perfecto, diceret c. IV. 5. μοχθηρία μὲν οὖν οὐδεμία. Qua notione imbecillitatis Wilson adductus est, ut notionem in c. III explicatam incontinentiae nil valere et etiam repugnare cum reliquo libro putaret. Sed, ut modo exposui, omnia in c. III, c. IV. 3., c. VII. 8. inter sese consentanea sunt. Neque ea Wilsoni notio imbecillitatis in c. VII („the truer ἀκρασία") se applicat ad c. IV. 3. Hic voces de viro incontinenti παρὰ τὴν προαίρεσιν καὶ τὴν διάνοιαν fortasse significare possent, esse incontinentem virum „with the fullest knowledge"; sed quae adiunguntur ὁ μὴ τῷ προαιρεῖσθαι τῶν τε ἡδέων διώκων τὰς ὑπερβόλας omnem dubitationem auferunt, num vir incontinens in c. IV ullo sensu ut cum consilio („with the fullest knowledge") agens dici possit. Haec verba plane

idem volunt atque quod Wilson ad c. III irrisit „the dormant, not realised knowledge of right and wrong". Quam ob rem iniuria Wilson contendit p. 55 „The result of ch. III is never alluded to again in the treatise save in a short doubtful passage near the end, which does not seem to belong to its context, ch. X § 3." Nam et in c. IV. 3. eadem notio explicatur neque c. X. 3. „doubtful" est, ut infra (p. 139. infr.) demonstrabo. Praeterea protulit Wilson orationem capitum II ac VIII argumentum suae hypotheseos, scil.: in viro incontinenti libri VII inesse et scientiam generalem et scientiam, quae ad res particulares pertineat, („potential and actual knowledge"), et virum incontinentem male agere cum consilio („with the fullest knowledge"). Haec eius verba sunt, p. 54: „The language of the book in general which describes the ἐγκρατής and ἀκρατής, seems, naturally at least, to imply that reason is in actual not merely potential opposition to appetite, e. g. ch. II, § 11, 1146. b. 1, 2, εἰ μὲν γὰρ μὴ ἐπέπειστο ἃ πράττει, μεταπεισθεὶς ἂν ἐπαύσατο. νῦν δὲ πεπεισμένος οὐδὲν ἧττον ἄλλα πράττει. In ch. VIII, § 5, 1151. a 20 seqq. the ἀκρατής is διὰ πάθος ἐκστατικὸς παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον: the ἐγκρατής (who must have actual knowledge) is ἐμμενετικὸς καὶ οὐκ ἐκστατικός. Compare also the phrases οὐκ ἐμμενετικὸς (ἐμμενῶν) λογισμῷ (δόξῃ, προαιρέσει, τοῖς δόξασιν) ἐκστατικὸς λογισμοῦ, ἐξίστασθαι τῆς δόξης, applied to the ἀκρατής, and in ch. VIII, § 1, 1150. b. 36, ἡ μὲν γὰρ κακία λανθάνει, ἡ δ' ἀκρασία οὐ λανθάνει." Sed contraria, quam quae sperat, demonstrant. Voces enim ut ἐπέπειστο (ὁ ἀκρατής) ἃ ἐπράττει et οὐκ ἐμμενετικὸς λογισμῷ

indicant, viri sententiam, *ubi agat*, esse mutatam, i. e. unam partem scientiae, scil. quae ad res particulares pertineat („actual knowledge"), esse obscuratam neque amplius totius mentis („the fullest knowledge") esse compotem.

Iudico igitur, notionem incontinentiae, in c. III expositam, optime quadrare cum reliquo libro, et, notione Wilsoni contra capitis III accepta, varias difficultates nasci.

Notionibus Aristotelis et huius libri VII de continentia ac incontinentia expositis, nunc videamus, an inter sese conferendae sint.

Primo illa notio conscientiae in incontinenter agendo plane ab Eth. Nic. abhorret. Jam mirum est hic, in incontinentia, aliam rationem conscientiae in agendo ac notionem voluntarii descriptas esse, quam in ceteris virtutibus. Apud Aristotelem (E. N. I c. XIII) in viro incontinenti superat pars animi appetitiva partem rationalem, ita ut hanc mutet ac corrumpat, et igitur vir agat mala prudentia maloque consilio vel scientia, quae ad res particulares pertinet (ἡ κατὰ μέρος ἐπιστήμη in VII c. III). Contra in viro incontinenti libri VII pars animi appetitiva non mutat neque corrumpit prudentiam; sed vir incontinens agit prudentia per exiguum tempus obscurata (οἷον καθεύδων) neque cum consilio agere dici potest Quando scientiam illam generalem (ἡ καθόλου ἐπιστήμη VII c III) comparamus cum virtute ex mutua coniunctione virtutis ac prudentia in X c. VIII. 3, videmus, auctorem libri VII illam coniunctionem rescidisse et facultatem quandam agendi posuisse sine prudentia seu bona seu mala. Cui rei bene se applicat

VII c. X, ubi contendit auctor, virum incontinentem prudentem esse non posse, bene vero sollertem (δεῖνον). Quaenotio a nobis in E. N. VI. c. XII. ac. XIII, ut Eudemiana, Aristoteli abiudicata est. Illa Eudemi notio virtutis naturalis comparanda est cum continentiae libri VII, i. e. virtutis sine prudentia, scil, scientia, quae ad res particulares pertinet, ita ut incontinentia sit vitium sine prudentia neque mala prudentia peractum. Quo facilius intellegimus, Eudemum dixisse, continentiam esse aliam rem quam virtutem (E. E. II c. XI ἔστι δ'ἀρετὴ καὶ ἐγκράτεια ἕτερον), cum E. N. I c. XIII. continentiam poneret omnium virtutum fundamentum. Etiam eo evenit, ut notio voluntarii in agendo, quam invenimus in VII c. X, cum Eth. Nic. non quadret, et plane cum Eudemo congruat. Si enim vir incontinens scientia, quae ad res particulares pertinet, caret, secundum Aristotelem nullo pacto voluntarie egisse dici posset (cf. E. N. III c. II τὸ ἑκούσιον δόξειεν ἂν εἶναι οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα ἐν οἷς ἡ πρᾶξις). Contra in Eudemi notione voluntarii inest aliquid voluntatis (βούλησις), ut vidimus p. 49 infr., bene cum natura huius incontinentis viri congruens, et E. E. II c. VIII. 8. disertis verbis notionem voluntarii cum incontinentia coniungit: ὥστε ὁ ἀκρατὴς μᾶλλον ἑκὼν καὶ οὐ βίᾳ ὅτι οὐ λυπηρῶς, nec non E. E. II c. VII. 6. ὁ δ' ἀκρατὴς (δοκεῖ εἶναι) ὁ κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν παρὰ τὸν λογισμὸν οἷος πράττειν .... ἑκὼν ἄρα πράξει. καὶ ἑκούσιον τὸ κατ' ἐπιθυμίαν.

Attamen in libro VII non solum notio conscientiae in agendo incontinenter ab Eth. Nic. alienissima est, sed etiam materia, de qua agit incontinentia, suspicionem

movet. Nam cum E. N. I c. XIII continentiam fundamentum omnium virtutum describit, hic auctor sine ulla causa mutationis prolata definit eam ad solas corporis voluptates, in quibus etiam temperantia spectatur. Sed maioris momenti est, Aristotelem expresse ut continentiae exempla afferre *temperantiam* ac fortitudinem, ita indicantem continentiam a temperantia nil differre, nisi ut notio generalis a specie particulari differat (cf. E. N. I c. XIII. 17. *πειθαρχεῖ γοῦν τῷ λόγῳ τὸ τοῦ ἐγκρατοῦς* (sc. *ὀρεκτικόν*). *ἔτι δ' ἴσως εὐηκοώτερόν ἐστι τὸ τοῦ σώφρονος καὶ ἀνδρείου· πάντα γὰρ ὁμοφωνεῖ τῷ λόγῳ*). Quam ampliorem notionem continentiae a libro VII discrepantem apud quosdam inveniri professus est etiam auctor libri VII: c. I. 6. *καὶ τὸν σώφρονα μὲν ἐγκρατῆ καὶ καρτερικόν, τὸν δὲ τοιοῦτον οἳ μὲν πάντα σώφρονα οἳ δὲ οὔ, καὶ τὸν ἀκόλαστον ἀκρατῆ καὶ τὸν ἀκρατῆ ἀκόλαστον συγκεχυμένως, οἳ δὲ ἑτέρους εἶναί φασιν.* Praeterea vox *εὐηκοώτερον* ex loco supra laudato, E. N. I c. XIII. 17., significat, virum continentem ac temperantem differre tantum gradu. Quod enim vir temperans habet bonum habitum, facilius victoria de parte animi appetitiva reportatur; sed res apud utrumque eadem est parendo parti animi rationali prudentia fit bona neque sine consilio agitur.

Etiam oratio Eudemum in memoriam nobis revocat. Haec sunt vestigia: mos est, ut vidimus p. 44 supr., Eudemi ab aporia tractanda initium capere, ut hic c. I. profitetur: *δεῖ δὲ, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων, τιθέντας τὰ φαινόμενα καὶ πρῶτον διαπορήσαντας οὕτω δεικνύναι μάλιστα μὲν πάντα τὰ ἔνδοξα περὶ ταῦτα τὰ πάθη, εἰ δὲ μή, τὰ πλεῖστα καὶ κυριώτατα, ἐὰν γὰρ λύηταί τε τὰ δυσχερῆ καὶ καταλείπηται τὰ ἔνδοξα, δεδειγ-*

μένον ἂν εἴη ἱκανῶς; voces ἄλλη ἀρχή et φύσει saepius in Eth. Eud. inventae; δύναμις pro ἕξις c. X 4; rudis definitio notionum in c. III, δόξης, ἐπιστήμης, ὑπολήψεως, quas Aristoteles acute distinxit; c. VIII 4. ἡ γὰρ ἀρετὴ καὶ ἡ μοχθηρία τὴν ἀρχὴν ἡ μὲν φθείρει, ἡ δὲ σώζει, quod supra p. 118. med. Eudemi „Determinismum" vocavimus.

Hisce omnibus de causis E. N. VII c. I—XI Aristotelis propria esse non posse, sed magis Eudemi censeo.

In virorum doctorum opinionibus tractandis imprimis est disserendum de Wilsonio, qui opusculum singulare de hac parte edidit. Ponit Wilson lib. VII c. I—XI ex tribus singularibus partibus constare singulorum auctorum. Quae coniectura nititur laxa, ut opinatur Wilson, coniunctione capitum ac argumenti; sed me quidem iudice iniuste accusat ordinem materiae. Dicit p. 24 „Up to the seventh chapter, the subjects of the book have been *put* in a regular connection *outwardly at least* by transitional passages." Sed, ut apparuit ex materia supra (p. 125. infr.) summatim a me repetita, etiam interne omnia bene procedunt.

Praeterea multas repetitiones proferunt Wilson alii, quamquam revera tantum ampliori Eudemi rationi dicendi hae imputandae sunt, quippe qui priora repetat, ut nova addat. Quae ipse Eudemo tribuit Wilson, nil habeo quod iis addam; sed quae alii ac Eudemo dat vel iniuste in partes rescidit, ex ordine tractabo.

In c. IV Wilson (cumque eo Rassovius p. 22, ac Stewart II p. 166), in tabula II opusculo adiuncta, indicat tres partes verbis sese repetentes: (B_1) § 2, p. 1147, b. 23 — b. 31; (C_1) b. 31 — p. 1148. a. 4; (D_1) p.

1148. a. — a. 22; repetunt (B_2) p. 1148. a. 22 — a. 28; (C_2) a. 28 — b. 9; (D_2) b. 9. — b. 14. Repetitio iniuste indicatur; nam bene procedit argumentum: B_1 est divisio voluptatum in 1° ἀνάγκαια, 2° αἱρετὰ μὲν καθ' αὑτὰ, ἔχοντα δ'ὑπερβολήν, quod posterius genus ut materia incontinentiae cum adiectione significatur, quo facto progreditur ad prius genus tractandum, materiam ipsius incontinentiae, ut discrepantiam incontinentiae ac intemperantiae constituat. Subtili animadversioni, intemperantiam esse graviorem, quo quis minus cupiditate adductus male agat, adiungit auctor divisionem voluptatum repetitam, ut ita facilius ad alterum genus tractandum perveniat, scil. materiam, incontinentiae cum adiectione. Repetitionem illam divisionis voluptatum (B_2) auctor conscius adhibet, ut apparet ex verbis καθάπερ διειλόμεθα πρότερον, neque alia de causa, quam ut auctor ad alterum genus voluptatum tractandum transeat. Si vera repetitio fuisset, et hic et illic ambo genera fuissent tractanda neque, ut fit, supra ambobus generibus enumeratis prius hic tractatum, infra autem iterum ambobus enumeratis tunc alterum tractatum esset. Quas putat Wilson repetitiones C_1 ac C_2, revera non sunt, quod ille locus nominat tantum, hic tractat res per se optandas hoc quoque adiecto, illas res malas non esse, et esse discrepantiam inter incontinentiam ipsam (ἁπλῶς) et incontinentiam propter similitudinem (καθ' ὁμοιότητα). Totus hic locus est amplior Eudemi ratio dicendi; sed in partes per se exstantes dividi non potest.

In c. VIII observat Wilson duplicem esse recensionem, § 4 = § 5 (cf. tab. VI), cum tamen sic explicandum sit,

auctorem in § 4 exposuisse, viro incontinenti magis persuaderi posse, quam notionem § 5 repetit, ut novi aliquid addat, scil. virum incontinentem intemperanti esse meliorem.

Etiam specie in c. VI. 6—7. feritatis tractatio capitis V, 5—8, male repetitur, ut Wilson contendit et Rassovius p. 22; nam argumentum capitum V ac VI sic procedit: c. V explicat, quid sit homo ferus, deinde feritatem cum incontinentia comparat et ut incontinentiam cum adiectione esse constituit; c. VI aliam incontinentiam cum adiectione (sc. irae incontinentiam) tractat ut exemplum huius generis modo positi, quo facto redit ad feritatem, breviter voluptatibus hominis feri ex c. V. 1—5. repetitis, quae repetitio de industria fit, ut apparet ex verbis ὥσπερ γὰρ εἴρηται κατ' ἀρχάς. Neque sine causa redit in c. VI ad feritatem. Nunc enim tria genera: ipsam incontinentiam, duas incontinentias cum adiectione, scil. feritatem ac irae incontinentiam, inter sese confert, quod attinet ad eorum turpitudinem, eoque feritatem minime turpem ac malam esse constituit, quod in c. V, priore tractatione feritatis, nondum poni potuit.

Quam perturbationem animadvertit Wilson in c. VII ac X (tab. IV ac V), cumque eo Stewart, si altius spectamus, facile explicari potest. Dicit Wilson p. 17 „κρατεῖν then is common to the ἐγκρατής and καρτερικός, ἡττᾶσθαι to the μαλακός and ἀκρατής. This is contradicted by § 4, 1150. a. 32 b. (A_2), according to which κρατεῖν belongs to the ἐγκρατής alone, and not to the καρτερικός, whose action is merely ἀντέχειν: and this difference is made a reason

for preferring the former to the latter, because κρατεῖν is better than μὴ ἡττᾶσθαι". Attamen vox κρατεῖν primo, in c. VII § 1, ampliore sensu adhibetur, i. e. et de voluptatibus et de doloribus, deinde divisa est in § 4 in voces κρατεῖν et ἀντέχειν, quarum prior ad continentiam, posterior ad tolerantiam tantum spectat. Etiam hoc modo explicari potest, auctorem in fine c. VII ad novam divisionem incontinentiae progressum esse. Initio c. VII dividit totam notionem κρατεῖν in κρατεῖν ac ἀντέχειν, in fine ad subtiliorem notionem vocis οὐ-κρατεῖν, i. e. in voluptatibus, procedit auctor: imbecillitatem (ἀσθένεια), i. e. aegre ac moleste superari. Hac explicatione accepta nulla causa restat, cur Wilsoni coniecturam suscipiamus, quae totum librum evertit. Quae autem seclusit Susemihlius, § 2—5, et mea sententia damnanda sunt, quia divisio voluptatum huius loci non est et voces τί γὰρ ἂν ἐποίει ἐν πάθει ὤν p. 1150. a. 30 fere ad verbum ex c. IV. 4. repetuntur.

In repetitionibus c. III solum damnandis (tab. I) Wilsonium sequor. Rassovius unam, Wilson quattuor observavit repetitiones in c. III, quarum autem duae me quidem iudice duplicem recensionem testificari non possunt. Nam § 2. c. III (quem Wilson littera A′ indicat), repetitio paragraphi 1 (A), cum Susemihlio delendus est, quia argumentum capitis IV antecapit, cum c. III solum de conscientia agendi tractat. c. III § 4 (B_2) repetitio, ut opinatur Wilson, paragraphi 3 (B_1) potius altior explicatio huius paragraphi putanda est; nam comprehendit δόξαν et ἐπιστήμην (§ 3) in unam ὑπόληψιν (§ 4). Sed duae aliae repetitiones a Wilsonio iure proferuntur: c. III

§§ 7—12 (C_2 ac D_2) eadem explicat ac §§ 5—6 (C_1ac D_1). Hic igitur solum Wilson habet testimonium duplicis recensionis; sed hic unus locus coniecturam, totum librum ex tribus partibus constare probare non potest.

Etiam quae affert Wilson ut „Other evidence of compilation", mihi persuadere non potuerunt. Haec sunt:

C. VIII § 2 non quadrat cum § 5, quia in § 2 discrepantia vocum, ἐκστατικός ac μὴ ἐμμένοντες exposita est neque in § 5 retenta. Si autem altius spectas, hanc causam invenies, cur fieret: in § 2 de duobus generibus viri incontinentis, ἐκστατικός (προπετής c. VII) ac μὴ ἐμμένων (ἀσθενής c. VII) constituitur, illum hoc meliorem esse, quod minore conscientia ageret. Hoc igitur loco agitur de gradu conscientiae, et eo notio incontinentis viri sese dividit. Sed in § 5 vox ἐκστατικός adhibetur pro *tota* notione incontinentiae contra vocem ἐμμένων pro notione intemperantiae. Minus igitur recte contendit Wilson p. 26 vocem ὁ μὴ ἐμμενετικός in § 2 ad notionem *totius* incontinentiae exprimendam, in § 5 tamen ad intemperantiam adhiberi.

Animadversio Wilsonii, c. X. 3 genuinum non esse, quod hic una tantum quaestiuncula, supra (c. IX 6, 7 ac c. X 1, 2) duae contrariae tractentur, mihi quidem valere non potest.

Quae capita Aristotelica esse censeat Wilson, c. IV ac c. V 7, 8, me haudquaquam esse iudicare clarum erit ex prioribus, quia c. IV argumento a reliquo libro non abhorrere, et c. V 7, 8 repetitionem capitis V 5, 6 non esse, probasse mihi videor.

Accurate igitur Wilsonium impugnando pro certo me

statuisse spero, lib. VII c. I—XI unam continuam, quamvis ampliorem Eudemi tractationem praebere.

Pars altera libri VII de voluptate agit et semper fuit interpretum crux, quia et in lib. X est tractatio de voluptate ad priorem ne ullo quidem verbo spectans, et enumeratio in E. N. X c. IX 1. argumenti in Eth. Nic. tractati materiam libri VII praetermittit. Amicitiam enim (lib. VIII ac IX) nominat *ante* voluptatem tractatam (lib. X). Cum Spengelio et ego censeo alteram partem a priore, de continentia, divelli non posse, neque intellego Wilsonii sententiam p. 3: „The second part, on Pleasure, was in all probability not intended to stand in the same treatise as the versions contained in the first (c. I—X)".

Vidimus priorem partem lib. VII Eudemi vestigia prae se ferre, novimus in Eth. Eud. coniunctionem tractationum continentiae ac voluptatis esse promissam (E. E. III c. II); nunc cognoscamus, quae vestigia ostentet haec tractatio lib. VII de voluptate cum libri X comparata.

Perlustrabimus duas tractationes, ut melius percipiamus, utra magis cum reliquis Eth. Nic., utra cum Eth. Eud. quadret.

Prior tractatio, in lib. VII, incipit ab aporiis ponendis, quae vulgo moventur, et pergit in c. XII ad ipsam notionem voluptatis statuendam. Ut notionem boni (τὸ ἀγαθόν) primo dividit auctor, in quae sunt absolute bona (τὸ ἁπλῶς ἀγαθόν) et quae sunt bona ad quendam finem (τὸ ἀγαθόν τινι), deinde in id, quod est actio (ἐνέργεια), et id., quod est habitus (ἕξις) — ita iucunda dividit in ea, quae sunt iucunda ex eventu (τὸ κατὰ συμβεβηκὸς ἡδύ) et ea, quae

sunt absolute iucunda. Priora sunt omnia, quae hominibus habitum naturalem (φυτικὴν ἕξιν) gignunt, ideoque tantum iucunda sunt casu, quo hominis natura expleatur ad habitum naturalem necesse est. Expletur natura humana tunc, e. g. in cupiditati cuidam satisfaciendo, parte nostrae naturae sana, ut ipse eam vocat auctor in c. XIV. 7. Posteriora sunt ipsa iucunda absoluta, neque quia explent desiderium, iucunda. Haec homini alium quendam habitum non gignunt, sed fiunt, quando utitur tantum suo habitu homo; non solum, ut supra, sunt actiones (ἐγέργειαι), sed etiam ipsi fines sunt (ἐνέργειαι καὶ τέλη). Ipsa igitur voluptas definiri potest ut actio secundum habitum naturalem non impedita (ἐνέργεια ἡ κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος). In fine capitis haec notio voluptatis complures aporias (c. XI) solvit. Etenim fieri potest, ut vir temperans fugere voluptates, et vir prudens persequi vitam indolentiae (τὸ ἀλυπόν) dicatur, quia hac voce voluptatis iucundum tantum ex eventu significatur, neque ipsum iucundum absolutum, i. e. actio naturalis habitus non impedita.

In sequentibus, capp. XIII XIV, quaestiunculae notioni voluptatis adiectae tractantur. Explicat auctor notionem actionis non impeditae (ἐνέργεια ἀνεμπόδιστος) alia notione — sit venia verbo — positiva, scil. doloris ut obstaculi (ἐμπόδιον). Et ex ea notione doloris, i. e. mali, ut obstaculi, (λυπή ἐστι κακόν, ut πᾶν ἐμποδιστική) derivat, tunc voluptatem esse oportere bonum (ἀγαθόν τι) et etiam fieri posse, ut ad unam omnes voluptates vel una sola voluptas sit optimum (τὸ ἄριστον). Unde pergit auctor voluptatem cum Beatitudine comparando. Falso enim, inquit,

saepius voluptas indignior habita est, quam quae cum Beatitudine conferretur; sed haec indignior tantum est corporis voluptas, saepius cum illa vera absoluta permutata. Aggreditur nunc ad illas corporis voluptates, quarum nimium in ambas partes malum est, ut mire implicite explicat. Quocum coniungit subtilem explicationem, cur corporis voluptates iucundiores nobis esse videantur. Haec enim maxime habent naturam voluptatis ex eventu (κατὰ συμβεβηκός), i. e. doloris remedii, quod naturam ad habitum naturalem explere videtur ideoque omnes dolentes facile illa maxime manifesta remedia doloris, scil corporis voluptates, quae praesto sunt, arripiunt. Quod adornat exemplo viri melancholici, qui natura, ut ita dicam, consumitur multaque dolet et eo modo adducitur, ut voluptates statim dolorem explentes et quae facillime ei praesto sunt, i. e. corporis voluptates, arripiat. Quo apparet, has ex eventu voluptates ex duplici nostra natura oriri. Deus enim has voluptates ex eventu nescire, sed immobilis naturae actione frui ei videtur.

In Eth. Nic. X c. I—VI sequentem tractationem invenimus: c. I—IV ab aporiis incipiunt, quae ita solvuntur: voluptas neque bonum dici potest neque aliquid, quod fit (γένεσις) neque quod explet nostram naturam (ἀναπλήρωσις); c. IV ipsam voluptatis naturam exponit, ut aliquid semper perfectum (ἀεὶ ὅλον τι). Deinde coniungit auctor omnem voluptatem arte cum actione sive corporis sive mentis easque coniunctas tractat quidem ut duas res, tamen unius rei partes: συνεζεῦχθαι μὲν γὰρ ταῦτα φαίνεται καὶ χωρισμὸν οὐ δέχεσθαι. Ergo ex optima actione etiam fit optima voluptas, qua

actio perficitur (ἡδονὴ τελειοῖ τὴν ἐνέργειαν); c. V dividit voluptates ut actiones, et ponit tantum, quae ipsius actionis propria sit voluptas, eam actionem perficere. Quo efficitur, ut eadem norma voluptatibus ac actionibus exstet, i. e. vir probus ὁ σπουδαῖος, ita ut, quae voluptas ei actionem perficit, ea revera bona sit.

Vide, quantum hae duae tractationes de voluptate differant. Neglegamus priorem contendere, voluptatem dici posse bonum, posteriorem expresse negare, et, quod est maioris momenti, posteriorem reicere omnem voluptatem, quae expleat, qua notione nisus auctor libri VII duo genera voluptatum descripsit. Attamen et in illa principali notione voluptatis absolutae, i. e. actionis habitus naturalis, describenda subtilis neque vero parvi momenti est discrepantia. In lib. X voluptas arte quidem cum actione coniungitur; sed ita ab actione separatur, ut actio semper sit summa rerum, ut fundamentum vitae, et voluptas eam tantum perficit. In lib. VII autem illae duae arte coniunctae in unum sunt confusae, ita ut ipsa actio vocetur voluptas ipsaque voluptas actio neque de quadam actione per voluptatem perfecta, ut in lib. X, agit auctor. Quam ob rem Stewart minus recte II p. 220: „The object of both treatises is one — to show how ἡδονή is related to εὐδαιμονία or the ἀγαθόν, — how it hinders *and how it furthers* the performance of duty"; nam nusquam illud „how it furthers" in lib. VII invenies.

Ipsa haec mutatio coniunctionis inter actionem ac voluptatem (in lib. X) in harum confusionem efficit, ut voluptas in lib. VII bonum vel optimum esse dicatur, qua de

causa multi commentatores tractationem lib. VII magis Hedonisticam iudicaverunt. Rassovius p. 48, 49: Beide Abhandlungen differiren in den wesentlichsten Puncten. Im zehnten Buche wird die Lust von der Thätigkeit gesondert, so dasz sie nicht als eine blosze Qualität derselben erscheint im siebenten wird sie als ἐνέργεια ἀνεμπόδιστος definirt; das zehnte Buch bekämpft die Ansicht, dasz die Lust das höchste Gut sei, das siebente sucht, wie sich bei seiner Grundanschauung erwarten läszt, wahrscheinlich zu machen, dasz mindestens eine Art der Lust das ἄριστον sei. Schon diese Ansicht genügt, um die Abhandlung des siebenten Buches als unecht zu kennzeichnen; denn sie würde der Aristotelischen Ethik einen Hedonistischen Charakter aufdrücken, der mit ihren sonstigen Anschauungen unvereinbar ist".

Contra Rassovium Stewart hanc discrepantiam non re, sed tantum forma extare contendit, II. p. 221 in annotatione: „I differ from this view in (1) attaching great importance to the fact that both writers connect the notions of ἐνέργεια and ἡδονή closely together, as against those, whether hedonists or Platonists, who connect the notions of ἀναπλήρωσις or πάθος, and ἡδονή — hedonists, because it suits their manner and theory of life to do so, ascetic Platonists, because its suits their argument against the hedonists to do so — and (2) in regarding the difference between τελειοῖ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή, and ἀνεμπόδιστος ἐνέργεια ἡ ἡδονή, as of trifling, and merely scholastic significance".

Sed me quidem iudice Stewart subtilem discrepantiam inter lib. X ac lib. VII neglegit. Verum quidem est,

Rassovium iniuste, quod in lib VII voluptas bonum dicatur, auctorem Hedonisten vocare, quippe qui ut etiam lib. X optimam actionem tantum habitu snaturalis bonum vocet. Attamen in illa mutata notione libri VII, voluptatem non esse perfectionem actionis (ut in lib X), sed ipsam actionem non impeditam, discrepantia maxima quaerenda est, et maioris quidem momenti, quam ut cum Stewartio formalis tantum discrepantia vocetur. Notione lib. X accepta, norma agendi semper habita sunt omnia, quibus actio fit bona, qua bona actione perfecta voluptatem adipiscimur. Sed, quando lib. VII voluptatem actioni adaequat, norma fit agendi quaesita, quae sit bona voluptas, et vita moralis fit recta electio voluptatum. Hinc lib. VII natura hedonistica esse dictus est. Quae autem contra ponit Stewart, vera esse videntur: II p. 221: „Perhaps I may venture to formulate the difference between the writer of VII and the hedonists in this way. — The writer of VII says: „the Good (meaning the strenuous performance of the highest duty) is Pleasure"; the hedonist says: „Pleasure (*meaning the pleasure of sense*) is the Good."

Sed, quamvis verum sit, vulgo Hedonisten eum habitum esse, qui corporis voluptatibus fruendo ut norma vitae utatur et eo sensu auctorem libri VII Hedonisten minime dici posse, tamen quodam sensu ille auctor revera Hedonistes iure duci potest. Adaequat enim, ut supra vidimus, voluptatem actioni itaque rectam electionem voluptatum, quamvis nobilium, normam vitae moralis facit. Haec igitur voluptatis in lib. VII exposita est nobilis quaedam ac sagax doctrina Hedonistica, quod ad Beatitudinem

quaerendam nos dirigamus ad bonas voluptates, ut auctor libri X ad actionem probam oculos figi vult. Sunt quidem vocabula in libro X, quae hanc libri VII notionem indicare videntur, cf. c. V 10. *εἰ δὲ τοῦτο καλῶς λέγεται, καθάπερ δοκεῖ καὶ ἔστιν ἑκάστου μέτρον ἡ ἀρετὴ καὶ ὁ ἀγαθὸς ᾗ τοιοῦτος, καὶ ἡδοναὶ εἶεν ἂν αἱ τούτῳ φαινόμεναι καὶ ἡδέα οἷς οὗτος χαίρει.* Attamen etiam hic fundamentum habet auctor vitae moralis actionem secundum virtutem (*ἐνέργεια κατ' ἀρετήν*) et tantum his verbis significat voluptatibus esse eandem normam ac actionibus, i. e. virum probum (*ὁ σπουδαῖος*). Haec subtiliter discrepant a notione in lib. VII posita, voluptatum rectam electionem etiam esse actionum rectam normam. Vide quomodo totus animus libri VII c. XI—XIV parvo quasi gradu cogitationem libri X persequatur. Nam, a notione, a qua incipit lib. X, esse eandem normam voluptatibus ac actionibus, pergit auctor libri VII, esse eandem normam actionibus ac voluptatibus, i. e. nos actiones dirigere posse voluptate, quae actionem sequatur vel sequi soleat, norma adhibita.

Quando eo modo notiones lib. VII ac X exposuimus, reapse elucet, cum quibus Ethicis, Nic. aut Eud. quaeque tractatio congruat.

In reliquis Eth. Nic. duobus locis de voluptate disseritur: II c. III *σημεῖον δὲ δεῖ ποιεῖσθαι τῶν ἕξεων τὴν ἐπιγινομένην ἡδονὴν ἢ λύπην τοῖς ἔργοις· ὁ μὲν γὰρ ἀπεχόμενος τῶν σωματικῶν ἡδονῶν καὶ αὐτῷ τούτῳ χαίρων σώφρων, ὁ δ' ἀχθόμενος ἀκόλαστος, καὶ ὁ μὲν ὑπομένων τὰ δεινὰ καὶ χαίρων ἢ μὴ λυπούμενός γε ἀνδρεῖος, ὁ δὲ λυπούμενος δειλός· περὶ ἡδονὰς γὰρ καὶ λύπας ἐστὶν ἡ ἠθικὴ ἀρετή· — διὰ μὲν γὰρ*

τὴν ἡδονὴν τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα; II c. IX. 4. σκοπεῖν δὲ δεῖ καὶ πρὸς ἃ αὐτοὶ εὐκατάφοροί ἐσμεν· ἄλλοι γὰρ πρὸς ἄλλα πεφύκαμεν· τοῦτο δ' ἔσται γνώριμον ἐκ τῆς ἡδονῆς καὶ τῆς λύπης τῆς γινομένης περὶ ἡμᾶς· εἰς τοὐναντίον δ' ἑκυτοὺς ἀφέλκειν δεῖ. His locis apparet, voluptatem actionis bene peractae additamentum duci ideoque signum actionis bene peragendae adhiberi posse, quia homo vergat ad nimiam voluptatem. Sed supra, p. 50. infr., vidimus, quo modo Eth. Eud. voluptatem maioris momenti haberent et ut norma practica uterentur. Evolvunt igitur Eth. Eud. notionem in Eth. Nic. II c. IX inventam, voluptatem interdum signum nobis esse posse, ad aliam, rectam scil. electionem voluptatum ut normam vitae moralis nobis adhibendam esse. Hinc in E. E. II c. X. 30. definitio virtutis..... τὴν ἀρετὴν εἶναι τὴν ἠθικὴν ἕξιν προαιρετικὴν μεσότητος τῆς πρὸς ἡμᾶς ἐν ἡδέσι καὶ λυπηροῖς.

Vidimus igitur eandem esse evolutionem cogitationis ex tractatione libri X in libri VII ac ex reliquis Eth. Nic in reliqua Eth. Eud. eandemque esse rationem, qua facile apparet, librum VII argumento cum Eth. Eud. consentire. Etiam sunt vestigia externa, quae nos commovent: E. E. I c. V. 13. promittit tractatum iri de coniunctione Beatitudinis ac voluptatis, et disserit de corporis voluptatibus, de quibus ambabus rebus lib. VII c. XI—XIV tractat nec tamen lib. X. Et quod M. M. libri VII c. XI—XIV subsequuntur, testimonium afferri potest, quia omnium consensu M. M. imprimis Eth. Eud. imitantur.

Pauci sunt commentatores, qui E N. VII c. XI—XIV

ut Aristotelica defendunt. Rieckher facit ea Aristotelica quidem sed antea scripta posteaque perfecta in lib. X. Potius autem, ut vidimus, lib VII c. XI—XIV posterior tractatus ex libro X evolutus habendus est.

Quae profert Burnet, auctorem libri VII, Speusippum refutantem, Eudemi temporis esse non posse, satis auctoritatis me iudice non habent tot ac tantis controversiis orientibus, si E. N. VII c XI—XIV in Eth. Nic. legimus.

Sententia Panschii, qui tractationem in lib. VII Aristotelis esse censuit, alteram, libri X, Nicomachi Aristotelis filii, priore expositione satis, ut opinor, refutatur, ut etiam opiniones Barthélemy Saint-Hilaire, Rosii, Bendixeni, qui ambas tractationes unius Aristotelis esse contenderunt.

Omnes alii viri critici tractationem de voluptate in libro VII ab Aristotele alienissimam ducebant; sed obstabat iis arta coniunctio cum reliquo libro. Haec difficultas mea coniectura aufertur, siquidem etiam tractationem de continentia ac incontinentia Eudemi esse censemus. Quo facto totus liber VII et propter externa vestigia et propter interna ad Eth. Eud. nobis reiciendus erit.

CONCLUSIO.

Tribus libris per partes investigatis via, quam Rassovius indicavit, nunc nobis restat breviter enumerare, quas trium librorum partes Eth. Nic. tribuerimus, quas ad Eth. Eud. reiecerimus, et exponere, quibus eo modo utraque Ethica careant, et hanc conclusionem contra viros criticos, qui totos libros aut huc aut illuc transferre voluerunt, defendere.

Vindicavimus ex libro V Aristoteli capita I—V, totam expositionem iustitiae. Desiderantur igitur solum quaestiunculae cum iustitia connexae: de aequitate, de iustitia tropice dicta, de sibi ipsi iniuriam inferendo ac voluntarie iniurias patiendo. Tum carent Eth. Eud tota explicatione principiorum iustitiae, quae secundum V. c. VI 2 iustitiam politicam anteibat.

Ex libro VI totum fere argumentum Ethicis Nicomacheis servavimus: c. I 4—7; c. III 2—4; c. IV; c. V 1—4, *τῆς μὲν γὰρ ποιήσεως*; c. VI; c. VII 1—3 *ἄτοπον γὰρ*; c. VIII 1—4 *σημεῖον*; c. IX; c. X; c. XI 1, usque ad *εἰσὶν δὲ πᾶσαι*; c. XII 1 *τί μὲν οὖν* usque ad *εἴρηται*. Coniunctio virtutum autem, ut vidimus p. 100. med., confusione cum Eudemi fragmentis amissa est. Fragmenta Eudemi pauca sunt: prooemium, c. I 1—4; cogitationes de prudentia c. V 5—8, c. VII 4—6; et nova illa notio virtutis naturalis, c. XII ac XIII.

Liber VII Eth. Nic. totus reiciendus est, neque alia tractatio huius argumenti desideratur, ut demonstravimus p. 123. infr.

Cognovimus igitur Rassovii coniecturam nobis persequendam esse, et subsistere non possumus, ad quae dicit: „dasz die vielleicht verstümmelten echten Bücher des Aristoteles aus der Eudemischen Ethik ergänzt seien". Etiam ex mutilatis Eth. Eud. libris mutilatos Eth. Nic. expletos esse nobis credendum est; nam partes, quae utrisque Ethicis restant, neutris tota media Ethica efficere possunt.

Argumenta, quae prolata sunt, totos tres libros alterutris Ethicis tribuendos esse me quidem iudice vix cuiquam sufficiunt et magna ex parte etiam a me reiecta Aristoteli abiudicant. Quoad igitur ea cum iis, quae posui, pugnant, mihi refellenda sunt.

Ars critica Anglica tota, ultimo editore Burneto excepto, tres libros Eth. Eud. tribuit. Quae profert Jackson, imprimis a Fischero indicatum impugnant locum, ubi seiungit partes Aristotelis et Eudemi (E. N. V c. X finis). Sed unum tantum argumentum affert, quod V c. I—X Eudemi esse Jacksonio iudice probaret, scil. c. VIII, quod et ego seclusi. Hoc autem unum satis non est, ut nullam causam videam, cur lib. V c. I—V Aristoteli abiudicanda sint.

Grant autem, quem secutus est Stewart, amplius defendit, totos tres libros ab Aristotele abhorrere. Refutat Grant locos, qui laudantur ad mutuam coniunctionem operum Aristotelis et trium librorum demonstrandam: Polit. III. 12. 61. διόπερ τὸ ἴσον τὸ ἀντιπεπονθός, inquit, non ad E. N. V c. 4 revocat, quia hic τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀναλογίαν non

cum illo τὸ ἴσον quadrat. Iniuria; nam etiam in E. N. V. c. 4 tractatur de *aequitate* personarum et tantum de analogia rerum commutatarum. Polit. III. 9. 3. non ad E. N. V. 3. 4. reicere ei videtur, quod E. N. V. 3. 4. subtiliorem notionem commutationis pro Ethicis scriptis habeat, et ea potius Politicorum sit exque iis in Ethica translata. Minus recte; nam theoriam commutationis delineavit tantum E. N. V. 3. 4. Confugit Grant ad iniustam violentiam, si voces, ut ὥσπερ ἐν τοῖς ἠθικοῖς εἴρηται, meras interpolationes ducit et ad nimiam sagacitatem, si testimonium, Metaph. I. 1. 17 εἴρηται μὲν οὖν ἐν τοῖς ἠθικοῖς, auferre vult contentendo, Eudemum edentem Metaphysica de industria hanc coniunctionem Metaph et Eth. confecisse.

Quae affert argumenta, tres libros magis consentaneos esse cum Eth. Eud. quam cum Eth. Nic., partim iam locis etiam a me reiectis e medio sublata sunt. Restat tantum E. N. II. 7., quod contendit Grant aliam tractationem iustitiae promittere quam dat lib. V; sed ambo loci de duobus iustitiae generibus loquuntur, etiam vocibus πῶς μεσότητές εἰσιν accurate congruentibus cum V c. V. 17.

Ex locis, quos laudat Grant, testimonia mutuae coniunctionis trium librorum ac Eth. Eud. tres tantum cum iis, quae proposui, non quadrant: E N. V. 1. 2. conferendus cum E. E. III. V. 1—3; E. N. VI. c. VIII. 1. cum E. E. I c. VIII. 18; E. N. VI. 1. 4. cum E. E. II c. IV. 1., quorum duorum priorum non intellego congruentiam, fortasse, quia hi loci in editione Susemihlii Eth. Eud aliis numeris indicati sunt. Tertium locum coniunctionem quandam inter tres libros ac Eth. Eud.

indicare concedo; sed tantum specie. Nam in E. N. VI c. I. 4 priorem divisionem virtutum (E. N. I c. XIII) repetit auctor eamque tum persequitur divisione partis animi rationalis in τὸ ἐπιστημονικόν ac τὸ λογιστικόν, cum in E. E. II c. IV. 1. hic primo virtutes dividuntur in virtutes morales ac intellectuales. Etiam in E. E. II c. IV. 1. voces αἱ δὲ τοῦ ἀλόγου, ἔχοντος δ' ὄρεξιν male cum Eth. Nic. consentiunt, quae habent τὸ ἄλογον μετέχον πῃ λόγου.

Praeterea revocationum, quas profert Grant, in E. E. VII ac VIII ad tres libros tantum cum iis, quae conieci, pugnat locus, E. E. VII. 10. 10, conferendus cum E. N. V. 5. 8. Hic comparantur notiones τὸ ἀνάλογον ac τὸ ἴσον in amicitia tractanda cum iisdem in iustitia tractata. Sed, quod Eudemus has Aristotelis notiones cognoverat et ad amicitiam tractandam abhibuit, eo nequaquam apparet, etiam librum V, ubi iis Aristoteles utatur, Eudemi esse.

Ergo nullum argumentum Grantii ea, quae Aristoteli vindicavi, Eudemo tribuenda esse approbare potest.

Magis verisimile primo obtutu est, quod Fischer, cumque eo Fritzsche, proposuit, qui tractatum de iustitia (lib V.) servaverunt. Sed, quod partes Aristotelis et Eudemi seiungunt in fine capitis X lib. V, minus recte fit. Hic enim locus rescindit continuam tractationem quaestiunculae de sibi ipsi iniuriam inferendo, ut supra demonstravi p. 88. supr. Et in eo loco indicando tota fere sua argumentatio, lib. VI ac VII Eudemi esse, posita est. Quae cetera affert Fischer, contra mea propisita non pugnant nec

quicquam profert, quod capitibus lib. VI, quae servavi, obstaret.

Omnes fere, qui totos tres libros Aristoteli vindicant, ad id adducuntur eo, quod istam molestam tractationem voluptatis in lib. VII Aristotelicam esse putant, quo obstaculo amoto nil nisi leviora, quae Aristoteli auctori trium librorum officerent, inveniunt. Sed nobis, ut cognovimus, plures difficultates exstant. Quae laudant externa testimonia, putantes esse revocationes in Aristotelis genuinis operibus ad tres libros et in his ad illa, nullam congruentiam operum Aristotelis ac eorum, quae Aristoteli abiudicavi testificari possunt. Nam et Polit. III p. 1261 conferenda cum E. N. V 5 et Polit. III 9 cum E. N. V 6 et Metaph. I A. p. 6 cum E. N. VI 3 comparantur cum partibus, quas et ego genuinas esse censui.

Barthélemy Saint-Hilaire praeterea quod Spengelii indicationibus nititur, contendit Eth. Eud. meram esse paraphrasen Eth. Nic., in qua tres libri ad verbum translati essent. Hanc sententiam refutat discrepantia inter illa bina Ethica in capite II huius libelli probata.

Neque ultimus commentator, Burnet, sententiam satis probavit, tres libros esse Aristotelis. Quae enim profert argumenta, in tribus libris nullam controversiam cum Eth. Nic. exstare, et lib. VI ac VII magis esse dialecticos, quam ut Eudemus eos confecisset, refelluntur compluribus locis, quos in capitibus III, IV, V huius libelli vehementer cum Eth. Nic. repugnare probatum est, et eo, quod etiam in Eth. Eud. multa dialectica observavimus in capite II.

Argumenta igitur eorum, qui tres libros totos aut Eth.

Nic. aut Eth. Eud. tribuere conati sunt, satis gravia non iudico. Quamquam in singulis explicandis vel damnandis fortasse erravi, tamen ex mea tractatione per capita librorum apparere spero, tertiam viam explicationis, tres libros putare confusos ex mediis partibus Eth. Nic. ac Eth. Eud., quam ingressus est Rieckher et persecutus Rassovius, veram esse ad recte cognoscenda Aristotelis Ethica. Nam ut exemplum afferam, tractatio voluptatis in lib. VII, Aristoteli falso tributa, multos commovit, ut Aristoteli turpiorem, quam professus est, doctrinam moralem imputaverint. Est quidem via difficilis et lubrica, qua in libris confusis internis documentis imprimis ducibus genuina ac adulterina seiungere conamur; sed ea tantum verum Aristotelem cognoscere possumus.

THESES.

THESES.

I.

Kant, Krit. der prakt. Vernunft. p. 272. (ed. Rosenkranz): „Nun folgt hieraus, dass man die *Moral* an sich niemals als *Glückseligkeitslehre* behandeln müsse, d. i. als eine Anweisung der Glückseligkeit theilhaftig zu werden".

Deze woorden zijn niet van toepassing op het Eudaemonisme in de Ethica van Aristoteles.

II.

Schopenhauer, Parerga und Paral, V p. 430 (ed. Frauenstädt): „Als die oberste Regel aller Lebensweisheit sehe ich einen Satz an, den Aristoteles beiläufig ausgesprochen hat, in der Nikomachäischen Ethik (VII, 12.): ὁ φρονιμος το αλυπον διωκει, ου το ἡδυ (.... „Der Vernünftige geht auf Schmerzlosigkeit, nicht auf Genusz aus)".

Door dit citaat geeft Schopenhauer blijk onbekend geweest te zijn met de hoofdstrekking der Ethica van Aristoteles.

III.

Ten onrechte spreekt Grant „The Ethics of Aristotle" I p. 213 van „the very crude and apparently superficial character" van de argumenten, waarmede Aristoteles, Eth. Nic. I c. VI, de Ideeënleer van Plato bestrijdt.

IV.

De annotatie van Ramsauer ad Eth. Nic. III c. IV. 5.: „Itaque si ita vox illa ὅτι ὁ σπουδαῖος μέτρον adhibeatur, circulo aliquo peracto ad idem recurrit quaestio", bevat eene onjuiste beschuldiging tegen Aristoteles

V.

Eth. Nic. II c. VII. 15. (ed. Susem.).

ὁ μὲν γὰρ νεμεσητικὸς λυπεῖται ἐπὶ τοῖς ἀναξίως εὖ πράττουσιν, ὁ δὲ φθονερὸς ὑπερβάλλων τοῦτον ἐπὶ πᾶσιν λυπεῖται, <καὶ ὁ μὲν νεμεσητικὸς ἐπὶ τοῖς ἀναξίως κακῶς πράττουσι λυπεῖται,> ὁ δ'ἐπιχαιρέκακος τοσοῦτον ἐλλείπει τοῦ λυπεῖσθαι, ὥστε καὶ χαίρειν.

Quae inserit Susemihlius, sententiam debilitant.

VI.

Eth. Eud. VII. 13. 5. (ed. Susem.)

ἄτοπον γὰρ εἰ τὴν μὲν ἐν τῷ λογιστικῷ ἀρετὴν μοχθηρία ποτὲ ἐγγενομένη ἐν τῷ ἀλόγῳ στρέψει καὶ ποιήσει ἀγνοεῖν <καὶ τὴν ἐν τῷ ἀλόγῳ ἀρετὴν στρέψει ἡ ἐν τῷ λογιστικῷ ἄγνοια>, ἡ

δ'ἀρετὴ ἐν τῷ ἀλόγῳ <ἐν τῷ λογιστικῷ> ἀγνοίας ἐνούσης οὐ στρέψει ταύτην.

Quae addit Susemihlius post ἀγνοεῖν, supervacua sunt et sententiam interrumpunt.

VII.

Thuc. III. 30. 4. (ed. Herwerdeni.)

καὶ μὴ ἀποκνήσωμεν τὸν κίνδυνον, νομίσαντες οὐκ ἄλλο τι εἶναι τὸ καινὸν τοῦ πολέμου ἢ τὸ τοιοῦτον, ὃ εἴ τις στρατηγὸς ἔν τε αὑτῷ φυλάσσοιτο καὶ τοῖς πολεμίοις ἐνορῶν ἐπιχειροίη, πλεῖστ' ἂν ὀρθοῖτο.

Pro καινόν legendum est καίριον.

VIII.

Thuc. V. III. 2.

πολλήν τε ἀλογίαν τῆς διανοίας παρέχετε, εἰ μὴ μεταστησάμενοι ἔτι ἡμᾶς ἄλλο τι τῶνδε σωφρονέστερον γνώσεσθε.

μεταστησάμενοι leniter corrigere velim in μεταστησόμενοι.

IX.

Aesch. Choeph. 893/94.

φιλεῖς τὸν ἄνδρα; τοιγὰρ ἐν ταὐτῷ τάφῳκείσῃ. θανόντα δ'οὔτι μὴ προδῷς ποτέ.

Perperam Wecklein θανόντα in θανοῦσα correxit.

X.

Soph. Phil. 33.

στρωτή γε Φυλλὰς ὡς ἐναυλίζοντί τῳ.

Pro ἐναυλίζοντι praeferendum est ἐναυλιοῦντι.

XI.

Athen. V. 21. 5. (ed. Kaibel.)

ἐν δὲ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς πάντας ὑπερέβαλλε τοὺς βεβασιλευκότας.

Locum mutent θυσίαις et τιμαῖς.

XII.

Juv. Sat. VII. 183.

surgat et algentem *rapiat* cenatio solem.

rapiat corruptum est ex *capiat*.

XIII.

Tac. Ann. III. 5.

Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse; circumfusas lecto Claudiorum *Iuliorumque* imagines.

Nipperdeyo auctore *Iuliorum* mutare in *Liviorum* necesse non est.

XIV.

Caesar, B. G. I. 26. 4.
Diu cum esset pugnatum, impedimentis *castrisque* nostri potiti sunt.
Pro *castrisque* scribendum est *carrisque*.

XV.

Sensus vocis *misericordia* in Seneca „De clementia" I. 1. 4 minime quadrat cum II. 5. 4.

XVI.

De wijze van voorstellen in Tac. Ann. II. 43 der verhouding van Tiberius tot Piso is eene insinuatie.

XVII.

Ten onrechte beweert Beloch „Griech. Geschichte" II p. 180, dat Dion Plato gebruikte louter als politiek wapen tegen Dionysios II.